

6780 1/2  
L-6

T. 1392968 C. 72233342

PROGYMNASMATA  
SIVE DIALO-  
GI, EX P. IACOBO  
PONTANO SOCIEA-  
tis IESV, de prompti in vsum  
studiolæ iuuentis.



*CV M LICENTIA.*

VALLESOLETI.

Apud Christophorum Lasso Vaca

*Anno 1609.*

Erratæ; in quibus vera lectio reperietur:

FOL. Cum. nu. prim. sol. A. priorem. b. posteriorem paginam; vltimus numerus, paginam, notat.

Fol. 9. b. 26. Inires. f. 10. a. 4. honorario & 7. remunerer. f. 14. a. 9. suggestio. & 13. suggereretis. f. 16. a. 9. lacorum. f. 16. 9. lacerum. f. 19. b. 8. hac f. 22. a. 30. cruciatum. & b. 7. insulæ. & 28. turpissimum. f. 23. b. 12. facio. f. 31. b. 4. summum. f. 32. a. 3. eruditus & 6. silum. f. 39. b. 9. ce. f. 44. b. 6. scarificatores. f. 45. a. 9. sum. f. 47. a. 2. exhalationibus. f. 48. b. 4. ventre. f. 15. a. 16. condecet. f. 54. b. 13. purpurissum. f. 56. a. 22. abstrahar. f. 71. a. 1. fôtes. f. 74. b. 22. persimile. f. 78. b. 5. dimidiatum. f. 79. a. 19. principio. f. 80. b. 20. bellissimè. f. 82. b. 1. in. f. 84. b. 10. serico, byssino. f. 89. b. 9. grave. f. 91. b. 12. argente. f. 93. a. 5. modum. f. 94. a. 26. queat. f. 97. a. 23. die & 26. sit. f. 99. a. 10. sapientia. f. 100. a. 12. illis. f. 102. a. 8. similia. f. 103. a. 24. improbat. f. 105. a. 18. intersint. f. 106. a. 18. non. f. 107. a. 10. nihil. f. 109. a. 2. praua. f. 111. b. 12. mos. sol. 114. b. 27. vinum. & 29. quinam. f. 115. a. 5. ipsi. f. 116. nu. 119. pro. 116. & 30. isti. & b. 22. ebescet. f. 119. a. 22. ipsorum. f. 120. a. 13. vitium. f. 121. a. 10. desit. f. 129. a. 9. vrgenti. & 22. datur. f. 130. b. 1. interitus.

Con estas Erratas conforma con su Original fecha en Valladolid a diez de Octubre. 1609. años



Doct̃or Augustin  
de Vergara.

R. H8863

L I C E N T I A:

**T**ene licencia el P. Diego Muñoz de la Compañia de Iesus, para poder imprimir por una vez los Dialogos, que compuso Iacobo Pontano religioso de la misma Compañia, como consta de la licencia que passo ante Christoual Nuñez de León Escriuano de Camara del Rey nuestro señor. Su data en Madrid, a treze del mes de Junio, de 1609.

T A S S A.

**E**sta tassado este libro de los Dialogos del P. Iacobo Pontano, de la Compañia de Iesus, por los señores del Consejo, a tres maravedis y medio el pliego, como consta del testimonio que dello dio Christoual Nuñez de León, escriuano de Camara del Rey nuestro señor. Su data en Madrid, a 28. de Agosto, de 1608.

C E N S V R A.

**H**æc Progymnasmata selecta ex tribus voluminibus P. Iacobi Pontani, à Societate IESV vidi, & in pexi iussu supremi Senatus Regij. Eaq; utilissima iudicanti ad formanda Christiane iuuentutis ingenia optimis disciplinis, animosque Christianis moribus imbuendos: tantum abest, ut aliquid contineant Catholicae fidei, aut bonis moribus aduersum: quod impedimento esse debeat, aut possit ne in communem scholasticorum utilitatem, typis quam primum mitterentur. Datum Matriti Sexto nonas Iulij. Anno 1608.

Doctor Petrus Gonzalez de Castillo,  
Canonicus Magistralis Eccles. Conch.

**D**OLENDVM grauitèr erat, quòd in tanta aucto-  
 rù copia, qui discipulis explanantur, nullus fere ad-  
 huc circumferatur, cuius explanatione ad latine purèq;  
 loquendũ de rebus maxime obuijs, vsuq; necessarijs, illi in-  
 uentur. Quis enim, præter vnum aut alterũ est, qui aucto-  
 rum vel lectiõne, vel auditiõne, de rebus ijs his helasticis purè, de do-  
 mesticis latinè, de ecclesiasticis, no. inquinatissimè, ac bar-  
 barissimè, loquatur? Si vtrò styli forma quaratur, nulla perin-  
 de necessaria, atq; dialogorũ pedestris inuenietur, non orato-  
 ria, quæ exclusa foro, nullũ serè in gymnasys, nullum intè-  
 pliũ locũ habet. Non temperatus dicendi modus, quem fracta  
 hæc scribendi disputandiq; ratio, quæ nunc in vsu est, egrè po-  
 test sustinere. Quocirca meo sane iudicio, illi potissimum au-  
 ctores volutandi essent, qui huic familiari quotidianoq; ser-  
 moni maxime viles viderentur. Quæ autẽ nos ter Pon-  
 tanus in hæc parte inuenit, omnibus fere totius Europæ gym-  
 nasys testimonium denuncio. Vix vlla sint provincia, quæ  
 hunc libellum explanandũ, ac discipulis ediscendum non  
 vtraq; cõplexa sint: nec adullis libellus hic scholæ accessit,  
 quibus non singulare quoddam cum colingua latina lumen  
 accesserit, vt, cum antea barbære, nunc se latine loqui, in-  
 genuè fateantur. His de causis libellus hic typis nunc excus-  
 sus, vobis studiosissimi adolescentes, offertur, vt, cũ vobis eris  
 sit copia, magna vobis sit in lingua latina proficiendi facul-  
 tas. Valete.

# INDEX DIALOGORVM.

- D**EDUCTIO la. 23.  
 pueri ad Ma 19 Arma scolastica. 24.  
 gistrum, & 20 Dies remissionis 2;  
 primum examen. 1. 21 Mutuatio calami.  
 2 Consimile argumen- 26 b.  
 tum. 2. b. 22 Frustratio petiti atra-  
 3 Euntes in ludum. 4. menti. 27.  
 4 Secus in ludum aduē- 23 Comparatio nomina-  
 tus. 5. num, verborumque  
 5 Excusatio absentia. coniugatio. 27. b.  
 6. b. 24 Explicationum re-  
 6 Cal. mi preparatio. 8. petendarum ratio.  
 7 Elementorum cōfor- 28. b.  
 matio. 9. 25 Dicta alterna. 29.  
 8 Eiusdem materie. 10. 26 Interrogationes va-  
 9 Orthographia. 12. rix. 29. b.  
 10 Silentium, & atten- 27 Amissus. & promissus  
 tio. 13. liber. 30.  
 11 Suggestio. 14. 28 Auxilium, & consi-  
 12 Accusationes. 14. b. lium. 31.  
 13 Petitio Lusus. 17. 29 Charta in membra-  
 14 Idem argumentum. nam confata. 31. b.  
 18. 30 Nomen clatura. 32. b.  
 15 Ludus exacto con- 31 Iterum nomen clatu-  
 cessus. 19. ra. 33. b.  
 16 Nox transacta. 20. b. 32 Temeraria suspicio.  
 17 Virga. 21. b. 34. b.  
 18 Colloquiū in Scho 33 Somnus in gymna-  
 sio.

- flo. 35. b. 49 Frons, nares, caput.  
 34 Litigium. 36. 53.  
 35 Hora producta. 37. 50 Malæ, os, labra, den-  
 36 Virtus in teneris. tes, vultus. 54. b.  
 37. b. 51 Ceruix, humeri, bra-  
 37 Recitatio. 38. chia, manus, vngues, au-  
 38 Repetitio. 39. ricolæ. 56.  
 39 Disputatio. 40. 52 Spuere, tussire, eru-  
 40 Obseruator. 41. ctare, serere, oscitare  
 41 Formulæ petenda- vomere. 57.  
 rum facultatum. 42. 53 Risus, sessio, genu  
 ipsas autem formulas flexio, incessus. 58. b.  
 habes. fol. 131. b. 54 Compositio corpo-  
 42 Cubitum discessuri. ris inter colloquen-  
 42. b. dum, & cōsuetudines  
 43 Se vestibus exuen- rusticana. 61.  
 tes; preces ante som- 55 Consecratio mensæ.  
 num. 43. 62.  
 44 Esomno suscitati, 56 Gratiarū actio post  
 precatio matutina. epulas. 63.  
 45. 57 Instruere & adorna-  
 45 Vestientes, & reli- re mensam. 63. b.  
 qua peragentes. 46. p. 58 Quæ ante accubitū.  
 46 Mores incubiculo. 65. b.  
 48. 59 Ministrare accumbē-  
 47 Salutatio matutina, tibus. 66. b.  
 lentaculum. 49. b. 60 Proborum familiari-  
 48 Oculorum modera- tas. 68.  
 tio, & affectiones. 61 A Deo actionum ca-  
 50. b. piēda primordia. 68. b.  
 62 Tem

# DIALOGORVM.

- |   |  |
|---|--|
| <p>62 Temperantia in vi-<br/>ctu. 62. b.</p> <p>63 Malorum societas.<br/>71. b.</p> <p>64 Minutiora peccata.<br/>72. b.</p> <p>65 Libelli seurriles. 73.<br/>b.</p> <p>66 Formulæ bene præcã<br/>di. 74. b.</p> <p>67 Virtutis Laus. 76.</p> <p>68 Catechismus. 78.</p> <p>69 Sacræ conciones. 79.</p> <p>70 Missæ sacrificium,<br/>&amp; instrumentum sa-<br/>crum. 81. b.</p> <p>71 Piacularis confessio.<br/>86.</p> <p>72 Sacratissima Eucha-<br/>ristia. 88.</p> <p>73 Ieiunia. 86. b. 2.</p> <p>74 Religiosi, seu vita<br/>monastica. 89.</p> <p>75 Templorum cõstru-<br/>ctio, &amp; ornatus. 91.</p> <p>76 Indulgentiæ, bona<br/>opera, Christi vica-<br/>rius, cultus, &amp; implo-<br/>ratio sanctorũ, &amp; alia-<br/>demum. 93.</p> | <p>77 Veneratio, &amp; laudes<br/>Dèi matris. 96.</p> <p>78 Tempus, &amp; modus<br/>ludendi. 100.</p> <p>79 Officia ludentium.<br/>101.</p> <p>80 Lusus a versandi. 103.</p> <p>81 Ludus lapidum orbi-<br/>culatorum ad metas.<br/>104. b.</p> <p>82 Ludus globulorum.<br/>106. b.</p> <p>83 Ludus turbinis. 107.<br/>b.</p> <p>84 Laus verecundiæ.<br/>108. b.</p> <p>85 Adolescentiæ pro-<br/>priam esse verecundiã.<br/>109. b.</p> <p>86 Quæ res verecundiã<br/>pariant. 111. b.</p> <p>87 Quosnam vereamur<br/>114.</p> <p>89 Impudentia. 115. b.</p> <p>90 Immodica verecun-<br/>dia. 116. b.</p> <p>91 Damna, quorum au-<br/>ctor vitiosus pudor.<br/>118. b.</p> <p>92 Duplex curatio huius<br/>vitij.</p> |
|---|--|

# I N D E X

viti), 120.	97 Cupiditas proficiendi.
93. Examen. 121. b.	127.
94 Auditiones. 123.	98 Academia, 129.
95 Industria discendi.	99 Astutiapuerilis. 130
124. b.	b.
96. Pensum diurnum. 126.	100 Munditia librorum
	132.

## F I N.

Dialogus Primus

De iustitia

Parte prima

S

B

C. A.



# DIALOGVS PRIMVS.

*Deductio pueri ad Magistrum, &  
primum examen.*

PATER, MAGISTER, PVER.

**P**ATER. Salute plurima Doctorem  
te literarum impertio. M. Habeo gra-  
tiam, vir optime. Quid est negotij,  
quamobrem me velis? P. Si non gra-  
uaberis parvam dare operam mihi, paucis exse-  
quar, qua causa ad te accesserim. M. Aduerto  
animum. P. Ego germani patris officium secu-  
tus, paruulum hunc, quem cernis, filium meum  
honestissimis doctrinarum studijs, & virtuti à  
primordio ætatis deditum esse nimium quan-  
tum cupio. M. Laudabilis & iustissimo atque  
preclarissimo desiderio incensa volútas, quam  
primum enim, & quam diutissimè discendum  
A sapien-

Sapientes prædicant, quod nūquam per discitur,  
 & proficit in perpetuum. Præterea multum re-  
 fert, quibus odoribus testa recens imbuatur. P.  
 Est verò ita vt dicis. Hunc igitur puerum (quod  
 mihi familiae que meæ fœliciter eueniat) tibi in  
 manum do, tibi committo, tuæq; mando fidei.  
 Naturā ego sum, amore, cura & sollicitudine tu  
 illi pater esto. Tua institutione ac disciplina  
 probitatem & intelligentiam rerum (quā tā qui-  
 dem in istam teneritudinem cadit) adipiscatur.  
 M. Certè quidem haud repugnanter in album  
 discipulorū ipsum retulero, si, vt est in more po-  
 situm, ingeniolum eius atque progressum, quē  
 in literis hætenus effecit, periclitatus ante fue-  
 ro. P. Teneas licet solemne tuum, & exquiras  
 quòdcunque tibi exquisito opus videbitur. M.  
 Age, mi fili, ede nomen tuum. P. v. Mihi nomē  
 est Iacobus. M. Quotū agitas annum? P. v. Hic,  
 opinor, nonus incipit. M. Elementa conforma-  
 re nostin? P. v. Maximè, quanquam haud venu-  
 stissimè. M. Quid? rudimenta Grammaticæ nū  
 doctè calles? etenim in hoc meo gymnasio illa  
 non traduntur: instructum ab ijs venire ad me  
 audiendum oportet. P. v. Spero me scientia cō-  
 prehensisse illas præceptiones, quātum potue-  
 rim. M. Cuius autem Grammatici erant illa  
 tua rudimenta? P. v. Emmanuelis Aluari Lusitani.  
 M. Emmanuelis? Visne explorem quā  
 studiose didiceris? P. v. Explora, si placet. M.  
 Cedò, inflexiones nominum quot sunt? P. v.

Quinque. M. Hæc vox, Sensus, quoda declina-  
 tione continetur? P. v. Quarta. M. Quo casu effertur?  
 P. v. Nominandi, generandi, vocandi singulari:  
 & rursus nominandi, accusandi, vocandi multitudinis numero.  
 M. Bonus cuius generis? P. v. Masculini. M. Certumne istud habes?  
 P. v. Certissimū. M. Eius fœmininū? P. v. Bona. M. Neutrū?  
 P. v. Bonū. M. Da comparatiuum & superlatiuū?  
 P. v. Melior, optimus. M. Cur nō dicis, bonior, bonissimus,  
 perinde vt doctior, doctissimus? P. v. Dicerē verō, nisi esset anomalū,  
 siue inæquale, vt illa quoq; Malus, peior, pessimus:  
 Paruus, minor, minimus. M. Probè respōdet adolescētulus.  
 De hinc Pronominis definitionem recita. P. v. Quod loco nominis positū,  
 certam finitamque personā adsignificat. M. An emendatè sic loquemur:  
 Saluū te aduenire gaudemus? P. v. Prorsus emendatè. M. Vndēnam hoc intelligis?  
 P. v. Ex regula IV. M. Audiam⁹. P. v. Verbum personale infiniti modi,  
 postulat ante se accusandi casum. M. Pernosco, & demoror  
 egregiā singularemque diligentiam tuam. Hæc si in posterū  
 similiter ad discēdū attuleris (quod te facturum esse mihi  
 quidem dubitare in mentem non venit) promitto ac recipio  
 huic parētī tuo, te hominem eruditissimū veniētibus annis  
 euasurum. P. Diligentiam quidem pueri in spe optima ponat  
 Magister. Ego item quo minus illi cessare, & socordia atque  
 desidia bonum otium conterere sit integrum, curabo sedulo.

## DIALOGVS II.

P v. Ignauus non ero. M. Maeste indole, sic facies, mi Iacobe, & cras postquam luxerit, cum libellis tuis, armisq; scholasticis ad sextam in ludum hunc meum itare, Diuis bene iuuantibus, occipies. Tu interim filium reduces domum, quem propter ingenij bonitatem, & quam facile perspicio, naturæ præstantiam multò commendatissimum nobis, clarissimumq; fore credas velim. P. Liberalis ista, & humanitatis plena pollicitatio, vir doctissime, omnibus necessitudinib' me tibi obstringit. Beneuale. M. Et tu.

DIALOGVS  
SECVNDVS.

*Consimile Argumentum.*

MATER, PVER, LVDIMAGISTER.

MATER. Narcissule, agetum onera palliolo humeros tuos, & actutum sequere me. P. Quo concessura es mater? M. In locum periucundum, perque amœnum, & salutarem. P. In hortum? M. Etiam, in hortum ibimus. P. Tollam ergo me cū corbulam meā ad poma & flosculos colligēdos. M. Non opus istis corbulis ad hæc poma atque ad istos flores, eius de quo loquor hortuli asportandos, moue te ocius. P. Non intelligi mater quorsum me ducturasis. M. In scholar

ad Magistrū te ducam, ò fili, ibi latinitatē tyrocinium pones, posteaquā intra domesticos parietes à pedagogo vsque ad hoc tēporis legere, & formas literarū quoquo modo pingere doctus es. P. Hec, nolo in scholam itare. M. Caue sis malā rem, debes velle quæ pater & ego volumus. P. Virgas pertimesco, quibus me Præceptor assiduissimè tacturus est. M. Ne timueris, mitissimus atq; lenissimus homo est, puerosq; dociles ac morigeros amat vnicè, nec eos digito attingit. P. Missum me fac isto anno, insequenti quod constitutū habes trāfige. M. Opprime os, & sequere. P. Sequor. M. Hem, illę sunt ædes, illic est Gymnasiū, quò maturo pergere. At ipse Ludimagister ecclū prodit foras. Cū proximè accesserimus, primū nudato capite inflecte aliquā tum genua, deinde dexteram manū tuam osculatus eidē porrige. Astabis autē solo fixos tenēs oculos, & quā modestissimè, placidissimèq; ad interrogata respōdebis. P. Vt iubes mater. L. Salue bona foemina cū istoc paruulo tuo. M. Salue multūm vir literatissime. L. Tu ane isthæc soboles? M. Mea, Deo sint laudes, cui in acceptis refero. L. Quid venis? in meā mne fidē ac potestātē permissura filiolū tuū? M. Ea propter huc me affero, mi Domine, & te per illos quos ipse genuisti tiberos rogo, atque oro, institue mihi hunc puerum literarum atque morum præceptis, pro eo ac consueuisti diligenter. Pretiū tibi largē comulatēq; persoluā; & ille qui omni-

bus omnia muneratur Christus, maioribus te  
 præmijs in cælo dignabitur. L. Ita spero qui-  
 dem. Tibi autē affirmo, me in isto puerulo in-  
 formando nullā laboris partē prætermisurum.  
 Hoc porro fidelis ac piæ matris est munus, quo  
 tu perfunderis modo: optare, scilicet, & curare  
 suos erudiri liberos, ne si manserint literarū im-  
 periti atque rudes, haud minus differant à do-  
 ctis, quā arbores infructifera à fructiferis, equi  
 indomiti à domitis, & à viuis mortui. Qui voca-  
 retur paruale. P. Narcissus. L. Conueniunt re-  
 bus nomina sæpe suis. Perquā scitus puerna-  
 tus est tibi, & præfagum ipsi nomen indidisti.  
 Visura es aliquando hunc virtute, & sapientia  
 florentissimū. Deum quaeso, vt vitæ tuæ super-  
 stes sit. M. Ille idem faciat, vt huic formæ mo-  
 res consimiles sint, aptæque mēbrorum compo-  
 sitioni, & coloris suauitati præclara animi spe-  
 cies olim pulchritudoque respōdeat. L. Iamne  
 legere nosti, Narcisse? P. Noui. L. Et ducere lite-  
 ras? P. Ita. L. Lege quod typis impressum cer-  
 nis in hac paginula. P. *Cum & contra voluntatē meā  
 & præter opinionem accidisset, vt mihi cum imperio in pro-  
 uinciam proficisci necesse esset, in multis & varijs molestijs  
 legationibusq; meis hæc vna consolatio occurrebat, quod  
 neque tibi amicior.* L. Sufficit, perfectè legis. Libē-  
 tēne frequentabis scholas? M. Permetuit vir-  
 gas Domine, vt pueritiæ mos fert, alioqui non  
 inuitus discit. Veruntamen in hoc meta illum  
 esse haud inutile est. L. O Narcissule, habe bo-  
 num

num animum. Nisi fueris incredibiliter turbulentus & segnis (quod minimè futurum credo) nihil graue patieris, sed primum apud me amicitiae locum tenebis, disputatorum duces familiam, sedebis loco primario, & quàm saepissimè brauiopotiere. Nec me defectura est pomorū, ficuum, amygdalarum, & sacchari copia, vnde crebra sedulitati tuae dem munuscula. Tu, matrona, cures licet ne domi nimium lussibus vacet inter coenae suos, nèue malierum ancillarum blandimentis abstrahatur à studijs. Prouideas ne absit à schola, nisi forsitan morbo teneatur. Progressus plurimum impedit absentia. M. Scilicet, ita res est. Satis contentè illum habeo, nèque sinam vt absit à gymnasio. L. Emes libellos illi ad hanc scholam necessarios, & in diebus paucis in ludum mittes. M. Etiam. L. Vale. M. Communis ille omnium magister & imperator Deus te nostrae iuuentutis moderatorem letissimum, longissimo tempore viuum ac sospitem praestet.

## D I A L O G V S

## T E R T I V S.

*Euntes in ludum.*

A N T O N I V S, M A R C E L L V S.

**A**

NTONIVS. Securūsne & timore expeditus in phrontisteriū vadis Marcelle? M. Quid tibi ista percunctatione

A

vis

vis? explicandum, non enim satis intelligo. A. Fabor ergo apertius. Contexuisti epistolam, quam à nobis hodie requireret Præceptor? M. Contexui, & descriptam porto mecum. A. Præcurrit alacritas tua meam tarditudinem. Quamquam haudita pigritia me, vt chartæ penuria, qua premebar, remorata est, fecitque vt meam non totam describerim: serius quippe adeptus sum papyram. M. Quid acturus, si poposcerit? A. Dum vestras emendat, interea quod reliquum est nullo negotio describam. Hoc concessurum mihi spes est, siquidem alijs aliàs concessit. M. Ostende sis tuam scriptionē. A. Hem. M. Quàm fœdè tu pingis literas? gallinam scripsisse arbitror. Quàm item vacillant versus? A. Dum modo legi queat scriptura, parui duco tristitia sint an læta, pulchra visu, an deformia elementa: versus ad amussim nequeo dirigere. quātumuis coner. Atqui non tam valde utrâq; laude mihi antestas. M. Iudicium cœci. A. Aliter doceat me præceptor, si ipsi displiceo cum istis illepidis inuenustisque characteribus. M. Abhorrent istæ partes ab eius munere. A. At vnde discam tandem? Quid tu nunc mihi auctor es? M. Aliquem peritum adolescentē pacta pecunia conducant parentes tui, quē hanc ad rē magistrum capias. A. Attamen doctrina quoq; spectati & clari homines plerumque in scitè, & indecorè efformant figuras istas. M. Dici aliter non potest, verum non idcirco sunt docti: & tamen

tamen multi illorum decenter. A. Parentes mei (quod vitium senectus affert) attentiores sunt ad rem quàm sat est: defraudant genium suum: vereor vt illis persuadeam. M. Adhibe procuratorem Magistrum, cuius vnum verbum huc plus valebit, quàm centum tua. A. Rogabo vt hanc mihi oppellam surripiat. M. Cæterum, quæ heri explicata sunt in Cicerone, si te forte nominauerit, poterisne repetere? A. Nisi ipsemet opitu letur, parum bene: oblitus enim sum quorundam, & quem domi interrogem habeo præter parietes neminem. M. Hærenti subueniet. Ego insuper, quoad eius facere potuero, tibi opem feram. A. Mi optime Marcelle. M. Sponde, te mutuum esse facturum mecum, si in eodem luto hæsitauero? si necessitudo postulauerit? A. Spondeo firmiter. M. Salua res est.

## DIALOGVS

## QUARTVS

*Serius in ludum aduentus.*

MAGISTER, DISCIPVLVS.

**M**AGISTER. Quousque tandem hoc festiuissimum lepidissimumq; frustum discipuli ad me audientiam multo iam die, vltimum omnium ventitabit?

*Tota mihi dormitur hyems, & pingutor illo  
Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.*

inquit apud Martialem glis. Eho, adspice ad me somni mancipium. Videte vt illi turgent oculi, vt soporis adhuc pleni sunt. Impexum est caput, illota facies, non apparet circum collum intima tunica, pendet indecorè in sinistrum latus pallium. Quid est quod stata hora nunquam expergisceris? auscultate, vt componet sycophantias, & opplebit aures meas vaniloquentia. D. Credas mihi affirmanti, tam matutinus hic adesse, quàm istorum vllus, si quispiam domesticorum, è somno me vellet excitare. M. Eia verò, quia laudator de est, ipse te lauda. Quid tu ais? non te ad quintam, sero vtique, capit dormiendi satietas: vt è lecto allubescat surgere, explicata relegere, ediscèda ediscere, quò paratior scholam intres? D. Enimverò non possum profectò vltro expergisci. M. Nullus ergo domi tuæ feruus, nulla est ancilla, quæ te stertentem excitet? D. Sunt famuli, sunt ancillæ: at enim ne ipsi quidem primo diluculo suos lectulos deserunt, somnòque vt nos pueri, æquè pascuntur. M. Vah, ista ratio ponderosa est. Parentes autem qui tandem hoc patiuntur? D. Nescio, conueniunt. M. Ausim spõsionem facere, ni tu ab illis excitere. Sed illa ipsissima causa est: è strato, vbi concaluerit, inuitissimè te moues, nunc potissimum summa hyeme, ne congelacies. D. Ama me illa verissima causa est quam exposui, nec alia.

Proinde

Proinde iram tuam mollire velis, & animum in me quietiorem accipere. M. Tu igitur (infandum) ex tanta discipulorum frequentia repertus es, vnicus, qui neque per te cui giles, neque per alium. Quàm timeo ne mihi verba des. D. Non te circumuenio, M. Dedam alicui negotium, qui domi quærat num ita sit, vt tute narraſti modo. Si mentitum deprehendero, neque fidem in posterum dictis tuis tribuam, & pro fallacia ista meritam tibi mercedem dabo. Iam ne hoc tenes? D. Oppidò. Fortassis non fatebuntur illi culpam suam. M. Immò fortassis fatebuntur culpam tuam, & dicent te ab ancilla clarè inclamatam nihil consueſſe reſpondere, ſimiliter ac ſi etiam tum arctè, & grauiter dormires. Quod ſi iteratò clamet & minetur, te non nihil ſurrigere caput, & ſtridulo gutture quidpiam murmurare, velut porta in cardine; rurſumque ſuper puluinum illud demittere, ac placidè, vt antea, ſopori indulgere: & hanc eſſe vigilantiam tuam, viderique aut præcutis ſudibus te fodiendum, aut faces tibi admouendas. D. Quod libido eorum feret comminſcantur: ipſi tamen gallos canentes nihil morrentur; non ſurgunt. M. Tu verò ne poſt crebram quidem ancillarum vociferationem potes ſomnum excutere, o pigerrime homuncio. Sed nunc intempetiue de ſomnolentia tua longo ſermone vtimur, diemque conficimus. Cognoscam de domesticis tuis. Si fueris ve-

## D I A L O G V S V.

rax, rem tuam feceris meliusculam: sin erit, vt  
vanitatis in te culpam admiseris, tu ipse clamore  
tuo omnes Endymionas vigilantissimos præsta  
bis. Assequeris, puto, quorum hæc spectet com  
minatio. D. Admodum, Præceptor.

## D I A L O G V S

## Q V I N T V S.

*Excusatio absentie.*

M A G I S T E R, A N I M A D V E R S O R, A N T O -  
N I V S, I O A N N E S, M A R C V S.

M A G I S T E R. Euge animadu-  
sor, ades dum. A. Adsum, impera. M.  
Quinam hesternò die scholam non  
obierunt? A. Qui? Antonius Niger,  
Ioannes Faber, Marcus Syluius. M. Per paucos  
memoras. A. Reliqui ad vnum omnes coram  
præsentibus affuerunt. M. Extra eos videlicet,  
qui munusculis te elinguaerunt. A. Hoc quid è  
aliàs cum tentarent nonnulli, semper Austrum  
perculerunt. M. Probatu es adolescens & Ma  
gistro tuo fidelis. Heus, prodite vos in medium  
repente, statim, sine mora. An nondum etiam?  
confestim, inquam, aduolate. Quid habes Anto  
ni dicere ad excusandam absentiam? A. Ingent  
quidam, & intolerabilis dolor occupauerat sin  
ciput meum. Quo circa mihi in mandatis daba  
mater

mater, extra pedes pedem ne vsquam ponerem.  
 M. Fabule. Tibi vt credam? non ego te noui? A.  
 Si verbis meis exigua apud te est fides, certum  
 hominem ad matrem & familiares indagatum  
 allega. M. Logi. A. Haud secus reperies. M.  
 Somnium Quasi verò tu, vt es callidus & versi-  
 pellis, hoc tuis non imposuisses, tibi nimirum  
 condolere caput. Studebas verberationem estu-  
 gere, quæ propter legnitiem te manebat. A.  
 Neutiquam, Præceptor: non imposui profe-  
 cto; reuera nihil finxi. M. Poteròne hodie ve-  
 rum ex isto puero exsculpere? C. Caue mihi  
 mendacij quidquam. A. Vera loquor. Si aliter  
 fuerit ac dixi, causæ nihil, erit quin tibi de pœ-  
 nas. M. I. sessum; rem ego nunc quidem in me-  
 dio relinquam. Tu bone Faber, quo negotio im-  
 plicatus tenebare? I. Pater quopiam profectus  
 animi gratia, me perduxit illuc secum. M. Quò  
 profectus. I. In villulam nostram, quæ aliquot  
 millia passuum ab vrbe distat. M. Cur pridie à  
 me copiam non petebas? I. Noctu hæc de re deli-  
 berauit pater: tum multo mane in viam nos de-  
 dimus, vt ad te adire nequiuerm, nec voluerim  
 quòd verebar vt cubitu surrexisses. M. Dictum  
 inopinatum atq; mirabile; te altoqui somniculo-  
 sissimum, id temporis, sub galli cantum scilicet,  
 experrectum. Monstra ac portenta loqueris. I.  
 Videre me somnum haud sinebat gratissimæ  
 promissionis expectatio. M. Quin tu exoraue-  
 ras patrem, vt hoc promitteret? I. Factum est vt  
 mai.

patre secundo villam amœnissimam petiuerim  
 ibique animum studiorum perpetuitate fatiga-  
 tum triduo isto instaurauerim. Proinde, amabo  
 mi Præceptor, parce vltra querere, quando qui  
 dem te clam non est, quanto me opere schola de-  
 lectet; nusquam vt sim libentius. M. Qui tibi  
 incessit metus plagarum insolitus, hic de impro-  
 uiso oratorem te reddidit. Nunc condonabitur  
 erratum. Posthac nisi quoquo modo de absen-  
 tia certiozem me feceris, verberibus te cadam,  
 vt si in pistrino moleres. Percepisti? I. Planissi-  
 mē. M. Restat vt te quoque purges, solute ado-  
 lescens, & omnium inertium inertissime. Quid  
 egisti? aut vbi fuisti? aut quare in ludum non ve-  
 nisti? Quid est Sylui? quid taces? M. A. R. Exi-  
 stimabam esse ferias literarias. M. Ridiculum.  
 Hęcine os tuum? istāne frons tua? Ecquid, o in-  
 sulse, nudius tertius aut quartus primum audi-  
 tiones obire cœpisti? quomodo? an tu nesciebas  
 vacationi diem Mercurij cōsecratum? Hic ego  
 te manifestum mendacij teneo. M. A. R. Ast mi-  
 hi occorrebat heri Mercurius. M. Ast ego faxo  
 tibi hodie Tisiphone accincta flagellis occur-  
 rat. Lepidū capitulū. Tene errare in isto nego-  
 tio tā antiquo, tam noto, tā vulgato? Quamobrē  
 autem horis antemeridianis saltem non com-  
 paruisti in hoc loco? Prætexis culpam hoc fig-  
 mento: non fit mihi verisimile quod ais. Illi illi  
 sodales & congerrones tui aliquōte ambulatum  
 aut lusam auocant. Para; mox tibi virgis co-

rium conferibam. M A R. Miser, ah miser, cui tam malè vertit dolus. Sed te obtestor, vnā hanc dimitte noxiam; si quando rursus admisero tum occidito. M. Nihil agis.

D I A L O G V S  
S E P T I M V S.

*Calami preparatio.*

V E D A S T V S, B A L T H A S A R V S.

V E D A S T V S. Cùm haud inuenistè pingas elementa, doleo tibi nec chartam esse bonam, nec calamos aptos. B. Ab his singulis fateor me inopè. Charta nec candida multum, nec firma & plana, sed aspera, scabra, & pilis paruisissimis plena; quos cum à calami crena detraho, mora scriptioni affertur quod si nō detraho, scis ipse quales efformentur litere. Sed quod intolerabilius mihi accidit, etiā perfluit: verū hæc culpa sit atramenti potius, quā cū esset heri spissum valde, aqua nimia effecit dilutissimum & subalbidū. Calamos ad vsu ac commodare cultello prorsus nescio; & te etiam atque etiam vehementèrq; rogo, vt hanc rem me doceas, si ipse scias. V. Miseret me tui, qui penitus ignores, quod cōdiscipuli tui didicerūt magnam partē. B. Libera tu me ista ignorantia. V. Ausculta igitur. Auferinque penne sunt ad scribendum

*Alonso Garcia N y Padre*

dum imprimis appositæ, iisque pluries vtimur, ac sapius quàm pauonum aut cygnorum; quarum illæ nimis sunt duræ, hæ nimis amplæ: quanquã diutius bonæ permanent atque anserinæ. B. Teneo. V. Ex his ipsis anserinis meliores iudicantur, quæ sunt pellucidæ, mediocriter duræ, caule longiore, ampliore, firmiore. Quæ autem habent caulem breuem, angustum, & sunt admodum duræ, vt quæ inhzrent extremæ alæ, non probantur. B. Jam nouerim deligere pennas. V. Vbi delegeris, ita parabis. Rescindes caudam, plumulas vtrinque; detrahes, scalpelli tergo cauum pennæ leuigabis, extremum caui, seu caput rescindes, ex vtraque parte, antrorsum & retrorsum; hoc modo, vt fiat bifurcata (aspice.) Tatum porro rescababis, quantum latus est unguis auricularis digiti. B. Meminero. V. Post hæc in dorso crenam facies; id est calamum cuspide cultelli, siue extremo cultello iuste per medium scindes, sic, vt fissio seu incisura diametro dorsi pariter pene æqualitèrque respondeat. Tum vbi ad huc aliquantulum deorsum à fronte exsecueris, à dextris & sinistris acuere calamum, & mucronem facere perges; seu æquabis duos illos pedicellos, siue cruscula. Nunc me vide, quomodo indita crena vtrumque horum absoluiam. B. Obseruo. V. Rastellum hoc, quem mucronem antea vocaui, temperatæ gracilitatis esse debet, de quo quanto plus abscideris, tanto habebis calamum obtusorem, & grandioribus notis ducendis

dis aptiorem: dextra tamen pars, in quam calamus dum scribimus incumbit, sit aliquanto altior sinistra, quod discrimen adeo sit minutum, vix vt perspiciatur. Age experiamur hunc nostrum. Accipe, vide an placeat. Quare sic eum capis? B. Sic assueui. V. Tene pollice, & medio digito, molliterque superpone indicem, sic: ita minus vacillabit manus, & firmitus eam chartæ imprimes. Sit autem brachium vsque ad cubitum liberum dum scribis, & pondere suo tabulæ seu pluteo innitatur, tota autem manus auriculari. Intuere me scribentem. B. Imitabor te ad vnguem, & quibuscunque officiis poterò, tuam erga me humanitatem aut obruam, aut exæquabo.

## DIALOGVS VII.

*Elementorum Conformatio.*

IOSIAS, EXUPERIVS.

**I**OSIAS. O scitissimum archetypon, o speciosissimas literas, o illecebras. Diuina, quod aiunt, virgula adeptus es hanc elegantiam. Sed vnde? E. Meus germanus patris iussu manu sua mihi confecit. I. Vbi porro ipse didicit ductus hosce bellissimos? E. Sæpe huius artificij cupidus fuit, & in quendam magistrum anno proximo superiore incidit, qui Latinas, Græcas, Germanicas pingebat excellē

tissimè. I. Exemplar & prototypon quoddam mihi quoque datum est muneri ab amico: verù præ tuo sordet. E. Quare contempnis? si ad istum modum ac formam effinxeris elementa, vt in hac tua papæ ro efficta conspiciuntur, iudicabo te oleum non perdidisse. I. Atqui optima imitandi cupido assiduè versat animum meum. E. Atqui hic non queritur optimum. I. Laudatur tamen. E. Non nego. I. Ostende sis mihi tuam manum. E. Ecce. I. Quasdam exprimis prope modum perfectè, quasdam nõ allequeris, quod pace dixerim tua. E. Paulatim, & consuetudine imitandi allequar. I. Pro quàm deceatia f. quàm decora p. q. & omnes denique caudatas literas facit ille frater tuus? E. Quid notas grandiores? nõne anas? I. Mirificè. E. Aspice, A. vide D. & M. tanquam si ex typis æneis in chartam essent impressæ. I. Ipsa verò quæ alphabeto subiecta est scriptura, quàm ad lineam rectam sine linea directis versibus? quàm æqualibus sursum ac deorsum elementis? Vnum te volo. E. Vel decem. I. Nonne tibi præcepta dat pingendi & lapsus corrigit? E. Certè: & nonnonquam sua manu meam, tenentem calamum comprehendit, atque alienis digitis pingit, vt ego tractibus literarum hac ratione assuescam. I. Iniris à me non vulgarem gratiam; si exemplum à fratre mihi curares. E. Difficulter inducam. Nihilominus quoniã te tãto studio pulcherrime pingendorum characterum ardere animaduerto, curabo, vt v

ti compos fias. I. Quotum intra diem polliceris daturum in manus? E. Intra quartum. I. Perlubenter gratissimum hoc donum tam diu expectabo, cogitaboque interim, quo te honoratio remuneret E. Sic habeto, me gratuito hoc operis non esse facturum.

## DIALOGVS VIII.

*Eiusdem materiae.*

DAMASVS, ALVANVS.

**D**AMASVS. Tam artificiosè tanque graphicè characteres Romanos effingere, tãta proportione, & tã cõpõsitè mutuo respondentem, versibus præterea paribus intervallis à summa pagina ad imã usq; diremptis, & nulla omnino in parte vacillãtibus, dic sodes quid tandem utilitatis affert? ALBA. Modus ipse quærendi tuus, clamat te istuc in quæstione ponere non debuisse. DAMASVS. Quid ita non? ALVA. Quoniã ostendit nõ displicere tibi hanc manus meæ elegantiam. Atq; ut agam apertius: delectarise, si quãdo quidpiã à me exaratũ aspicias? DAMASVS. Ac nãltũ profectò, non secus, quã si nitidam, & collustratam picturam intuerer. ALBA. Hæc igitur vna est utilitas, ut mearum litterarum veluti pictura tuis aliorũque oculis blandiatur, lectorẽsque meos voluptate qua-

dam nec illiberali demulceat. D. Bene tu quidem haectenus, sed plura desidero. A. Ego ipse quoq; (id quod omnibus mel ordinis vsu venire existimo) propterea libentiùs, faciliùs, maioreque cum iucunditate scribo. Adde quod lectu expeditior est venusta, quàm rustica, indocta, imperitaq; manus; nec aliud in causa est, quare tantoperè typis descriptos libros amplectamur, nobiscumq; foeliciter actum credamus, si exaliamo ad illorù typorù venustissimam speciè quàm proximè accesserimus. D. Negari non potest, manum tuã exquisitã, probè distinctã & lu culentã esse. Nunc da, quibus viis ac rationibus ad huius scientiæ facultatè perueneris. A. Quorsum id nosse expetis? D. Etiã tu hoc rogas? Ut facere quæ similia. A. Si animũ huc aduertas, narro tibi. D. Asto auidissimis auribus. A. Principiò per commodũ fuit exõplar, in quo erat alphabetũ maioribus minoribusq; literis compositũ. Nec ibi solũ cõpletæ & integræ, verũ etiam imperfectæ, partèsq; & frustilla earum visebantur. Ostendebatur item, quo pacto illa fragmenta coagmentanda essent, vt absolutũ sicuterè corpus efficeretur. Verbi causa; ducebatur ab alto virgula ad hunc modũ l. appingebatur minutus semicirculus dextrorsum, seu inuersum e, sic, vt doceret b. cõponere, si illi porrectæ deorsum ad angulos rectos lineolæ hanc notã copulassent. In d. idem præstabatur, proposito c. sic tamen vt postquam e, illud cum virgula coiuisset, pun

Si instar de infimo eius extra emeretur. In ma-  
 iusculis eadem planè ratio custodiebatur. Sed  
 vt rem clariùs cognoscas, ipsum tibi prototy-  
 pon demonstrabo, si fuerit occasio. D. Optatissi-  
 mum acciderit. A. Posthæc binæ, ternæ, qua-  
 ternæ connectebantur, vt, ab. do. mi. ptu. si o.  
 gran. trum. Subiiciebatur adhuc vocum series,  
 quæ aliquam animantem, arborem, herbam, mor-  
 bum, instrumentum indicarent, ex que haud ita  
 vulgatæ ac tritæ. Tandem breuiores sententio-  
 læ, vt illæ (nam edidici, sicuti vocabula de qui-  
 bus dicebam.) *Vacare culpa magnum est solatium. Mo-  
 dio turissimus ibis. Festina lente. Nescis quid vesper serus ve-  
 bat. Homo bulla.* D. Videtur Magister hoc exem-  
 plar meditatus confecisse. A. Credo. D. Quid  
 erat nouissimo loco? A. Longior scriptura, sex  
 septem versuum scilicet, quæ ad virtutem ex-  
 colendam me hortabatur. Ex Platone, Tullio,  
 aut Seneca, vt reor, de prompserat. D. Nec illius  
 te capere debuisset obliuio. A. Non cepit. Erat  
 autem concepta his verbis. *Altum quiddam est vir-  
 tus, excelsum, regale, innitum, infatigabile; voluptas hu-  
 mile, seruire, imbecillum, caducum, cuius statio ac demici-  
 lium fornicæ & popina sunt. Virtutē in templo inuenias, in  
 foro, in curia, promuris stantem, puluerulentam, colora-  
 tam, callosas habentem manus: voluptatem latitantem se-  
 pius, ac tenebras captantem: circa balnea ac sudatoria, ad  
 loca adilem metuentia, mollem, teneram, mero atque vu-  
 guento madentem, pallidam, sucatam, & medicamentis  
 pollinctam.* D. Quid? tantumne sæpius inspectan-

da hac formula perdidicisti hoc tuum artificium?  
 A. Non. D. Quid egisti hoc amplius? A. Sua  
 manu Præceptor meam complexus moderaba-  
 tur ac dirigebat. Iubebat ite tenuissimæ ac sub-  
 tilissimæ papyro membranam subternere, in  
 qua inessentissimè picta elementa, cum  
 egregiè concinnata scriptura, & calamum super  
 literas per chartam satis translucens ducere, vt  
 sic ductibus earundem æmalandis assuescerem,  
 & habitum quodam confirmarer. Quinto è stylo  
 plumbeo interdum literas cum exarasset, eas  
 me atramento tegere, & de liuidis nigras redde-  
 re volebat. Cæterum ne facerem inæquales, eas  
 inquam, quæ vel sursum lineas non proiciunt,  
 vel infra non demittunt, vt vocales, & consonan-  
 tes c. m. n. a. & c. applicata regula trahēbat lineas  
 duas angusto spacio distantes, intra has manda-  
 bat mihi vt scriberem aliquid. Idem in grandio-  
 ribus seruauī, quarum inter se omnium æqua  
 est magnitudo. His ego exercitationibus vsus,  
 quantum cernis processum eifeci. D. Si nancif-  
 ci possem magistrum æquè scientem ac peritū,  
 discerem hanc artem sanè. A. Si sollicitus quæ-  
 ras, puto te inuenturam. D. Difficillimè: pau-  
 corum est enim bella manus: contra, malè  
 pingentium numerus infinitior quàm  
 frondium in syluis, piscium  
 in undis.

## DIALOGVS IX.

*Orthographia.*

SEPTIMIUS, ANSELMVS.

SEPTIMIUS. Si tibi faciendum videtur, Anselme, conferamus inter nos, quæ ante meridiem à Magistro de orthographia accepimus. A. Ordire, ego cœpta persequar. S. Tu maior, & plura tenes memoria. Si quid effluerit iam tibi, fortassis id mihi occurret, tum repente subiiciam. A. Affirmabat igitur, illam se statuere orthographiam probatissimam, & precipuè completendam, quæ constaret per bene formatas literarum figuris, quæ haberet versus ad amissim extensos, minimèq; velut à recto tramite vsquã deflectētes. S. In hisce duobus ipsemet magno nobis exēplo est: quis enim copingit venustius? quis tam recta lineæ? Verum hæc potius ornamenta sunt quædã orthographiæ, quæ ne doctis quidem singulis contingunt, nec illi magnopere inflammato eorundē studio rapiuntur. A. Sic est vt ais. Attamē cū ornamenta hæc amemus & admiremur in aliis, quid est qd ipsi nō cōsectamur? S. Quod erat tertium? A. Quod? scire quæ cū Latinæ ac Romanæ tū Græcæ, hoc est, è fontibus Græcorū in Latinitatem deriuatæ transfusæq; voces (quarū innum-

merabilis est multitudo) diphthongo; quæ vocali, & quam scriberentur; quibus consonantibus, ubi addendum aspirationis indicium. Quid sequebatur. S. De tonis seu accentibus nescio quid. A. Iam recordor. Nosse etiam quo tono, acuto, graui, inflexo ubi utendum. Ad hæc de interpunctionibus, quæ videlicet nota hypodiastoles disiungenda, quæ per yph, en, coniungenda, quando demum syllaba porrecta super se posita linea insignienda, quando semilunula inferiore ad breuitatem indicandam, quando comma, quando puncta, quando bina puncta, seu colon, quando interrogationis signum, quando parenthesis eos nota adhibenda. S. Dicebat in orthographia locum esse non deriuationibus duntaxat, notationibus, siue etymologiis, originibus, sed consuetudini etiam; videndumque quid solerent eruditi: qui si discreparent, & alij hoc, alij alio modo verbum idem scriptitarent, plurimum valere oportere iudicium. A. In reprehensionem denique vocabat eos, qui cum per uicacia manuscriptis codicibus, saxi ac numismatis vetustis adherent; quoniam illi sculptores, scalptores, monetarij sæpius illiteratissimi fuissent. Locutos quidem Latine, utinos omnes patria lingua Teutonice loquimur, non tamen idcirco scisse Grammaticam; & ita falso putari mysterium ac que auctoritatem grauissimam, quæ esset alienius idiotæ opificis mera ineptia. S. His addebat inspiciendos crebro decoris typis in typogra-

graphio descriptos libros, illosque imitandos  
 A. Vltimum proponebat hoc præceptum. Nō  
 solum formas literarum decoras studiose con-  
 templari, sed astare etiam scriptoribus librariis,  
 & ductus atque tractus quā diligentissimè ob-  
 seruatos intimis sensibus mandare. Hoc quale  
 esset, similitudine ante oculos ponebat. Vt enim  
 viua vox magis nos afficit quā lecta in libris  
 & muta; sic ipsa manus scriptoris multo vehe-  
 mentius imprimit in animo ideam elementis  
 seu potius rationem ipsius conformandi, quā  
 ipsum solum iam in charta absolutum, & reli-  
 ctum elementum. S. Hæc ferè audiuius ho-  
 die: cras & deinceps reliqua exspectemus. A.  
 Non omittendum illud præterea consiliū quod  
 dabat. Vt orthographicos libellos Aldi Manu-  
 tij Pauli. F. aliorumq; volueremus S. Diu est cū  
 hoc factito.

## DIALOGVS X.

*Silentium & attentio.*

SIGISMUNDVS, COELESTINVS.

**S**igismundus. Dupliciter peccatur in gym-  
 nasiō quotidie, ab aliis hoc, ab aliis illo mo-  
 do. C. Quæ sunt ista peccata? S. Confabula-  
 ri, & Præceptori non attendere. C. Qui  
 prius designant, utroq; tenentur. S. Ita prorsus  
 existimo, Verū qui aliud agunt, alibi oculis cu-

riosè diuagantur, pingunt animalia, equites,  
 stultos, libellos ineptos legunt, chartas & scam-  
 na conscindunt, illi in posteriore genere culpā  
 castigabilem committat. C. Verè dictum sen-  
 tio, & noui quorum ista est consuetudo. S. Tu  
 ipse vnus de illis es. C. Ego ne. S. Ita, nā. C. Fal-  
 so hoc in me vitium conferes. S. Mentiri non  
 est meum. C. Attentissimè audio. S. Non fem-  
 per. C. Si quando eorum quæ tu commemora-  
 sti aliquid ago, quasi si quid per transennam inf-  
 picerem, & leui brachio id fit. S. Vt eleuat hic  
 peccatum suum? C. Haud eleuo: vt loquor, ita  
 res est. S. Quin est quando sermunculos seris  
 cum proximis. C. Demiror tantum tibi esse otij  
 à rebus tuis, vt aliena cures. S. Tam sine pudore  
 id perpetratis, vt non possim non notare; vide-  
 ret vel cæcus, audiret etiam surdus. C. Viciissim  
 te captabo. S. Captus, non capies tamen. Sed ex-  
 tra locum: desiste, si te amas, ab huiusmodi virtu-  
 tibus, & noli cum te ipsum priuare tantarum uti-  
 litatum fructu, tū alios impedire. C. Quos alios  
 impedio, cum tenuissimo sono loquar? S. Qui  
 propius tibi assident, dextrā, sinistrā, & à ter-  
 go. C. Apage cū superstitiosa ista religione tua.  
 S. Amicè monenti volens obsecunda, & boni cō-  
 sule: alioqui coæctus, non mihi, sed Magistro fla-  
 gris te operienti obsecundabis. C. Adeo infan-  
 da hæc tibi peccata videntur? S. Magna procul  
 dubio suo in genere. Nā quid indignius, ac tur-  
 pius in schola delinqui possit, haud dispicio. C.

Nisi

Nisi aut ego mutus fiam, aut tu obsurdescas, difficile pax inter nos erit. S. Tu considera quorsum eas, & quid tibi futurum sit. Auceps quando concinnauit aream, offundit cibū; aues assuecunt, saepe edunt: semel si sunt captæ, rē soluunt aucupi. C. Intellego parabolam. Opere maximo dabitur opera, ne fraudi sit hoc aucupium.

## DIALOGVS XI.

*Seggestio.*

MAGISTER, STEPHANVS discipulus.

MAGISTER, Sæpenumero cū minis seuerissimis interdixi vobis pueri, ne suggeretis recitantibus: vos nihilominus, qui mos est vester, idem peccatū peccare nō desinitis, & patiētia mea nimium abutimini. Iam postremū moneo, prædicō, & antè denuntio, tibi præsertim capillate, tibi bone Stephane, quem obseruaui præter ceteros in ista noxia contrahenda diligentissimū, nisi tēperaueritis ab ista intēpestiua beneuolētia, non ego mihi temperabo ab iracūdia. S. Nō soles tam frequēter. M. Non soles: nemo quisquā frequentias. Prospice rebus tuis: nam acriter vlciscar te, si vel semel amplius suggerentē cōspexero. S. Spero mitiora. M. Spera quæ vis, quod acciderit patiēter fertis. S. Oportet me gratū esse aduersus

DIALOGVS XII.

aduersus bene meritos. M. Etiam tu taces? Illa  
merita tua merebuntur, quod dixi, præmium.  
Itaque nisi finem datis mutuò bene merendi, &  
imperium meum minuendi, faciã ego vt huius  
dtei, locique meique in omnem vitam memine-  
ritis. Et ego quidem verberando, vos vapulan-  
do defatigabimini. S. Crudele promissum. M.  
Nihil hoc genere puerorũ perniciosius in scho-  
la. Quid enim? dum hinc inde, dextra leuãque,  
antorsum, retrorsum recitantibus subueniunt,  
vbi eos memoria fugit, illos reddunt ignauissi-  
mos, & ipsi exspectatione similis beneficij, so-  
cordia socordiores sunt. Quisque sui memor, vt  
pœnam ne sentiat, punienda ne designet.

DIALOGVS. XII.

*Acusationes.*

HIERONYMVS, FELIX, MAGISTER,  
ALEXIVS, PANTALEON, BERNAR-  
DVS, EVARISTVS, GERVASIVS  
CYPRIANVS, DAVID,  
IONAS.

**H**IERONIMVS. Papæ, quid tu  
audacissimè locum alienum occupas?  
F. Alienum? H. ita loquor, alienum.  
F. Tuumne? H. Meum inquam. F. Nò  
est hic locus tuus. H. Cuius est? doceme. F.  
Meus.

Meus. H. Age si quid agis. F. Quid ego agam?  
 H. Restitue meum mihi locum, quem inuola-  
 sti. F. Si tuus sit, restituum. Aufer hinc iurgium  
 si sapis. H. Preceptor, iste mihi iniuriam infert.  
 M. Quid illic clamoris exoritur. H. Felix, dum  
 ego aliquanto post tempus venio in scholam,  
 impudenter vendicauit locum meum. F. Falso  
 me accusat: teneo locum meum. M. Quid tu ad  
 hæc? H. Quia honoratior est locus, idcirco me  
 absente auius est in alienam possessionem irru-  
 re. F. Non irruui. H. Irruisti: restitue debitum.  
 F. Nihil debeo. M. Dirimam litem. Meridianis  
 horis parati instructique ad concertationem eri-  
 tis. Tum sita Felicem, Hieronymem, disputan-  
 do viceris, infimo ipsum loco, prope ianuam col-  
 locabimus, vt ei tutelam gerat, & humilietur  
 qui se nouo exemplo exaltauerit. Sin ipse te su-  
 perarit, retinebit hunc locum; quoniam te di-  
 gnior omnium punctis censebitur qui hic se-  
 deat, & iuste eum repetere non poteris, mea qui-  
 dem sententia. F. A Equa conditio. H. Non de-  
 trecto hanc pugnam. Commutabo tibi nomen  
 hodie, si vsuam, vt pro Felice Infelix vocere F.  
 Minas tuas floccipendo. M. Quos ego post ter-  
 gum meum confabulante audio? Heus, quinam  
 modo inter se confabulari sunt? A. Pantaleon &  
 Bernardus. M. Linguati pueri, quare non silen-  
 tio ediscitis, quæ mox recitetis? P. Non sumus  
 confabulati. A. Estis, & diu satis. B. Reuera non  
 garriuimus. M. Quid fuit igitur? P. Interroga-  
 bam

bam nonnulla Bernardum, quæ minus intelli-  
 gebam. M. Qua in re? B. In Catechismo. A. Hoc  
 se facere simulabant illi quidem, vere autem de  
 suis quibusdam nugis sermonem miscbant. P.  
 Te tam audacter alleuerare? M. He in astutiam:  
 faturne rem Alexius? B. Certè hic minimè. A.  
 Conuincam vos argumento palàm: etenim sen-  
 tentias quasdam retineo de fermunculo vestro.  
 M. Premit aduersarius. Fateamini quod res est,  
 & culpa vos soluam. Si pergitis inficiari, virgas  
 cernitis: nis non tam obruptum silentium, quàm  
 ob mendacium tangam vos vsque ad necem. B.  
 fatemur: de prandio hesternò, in quo simul ac-  
 cubuimus, colloquebamur. M. Gauete, aliò qui  
 pessimè cœnatos dimittam. E. Est quod expo-  
 nam, Præceptor. M. Expone. E. Heri Gera-  
 sias & Cyprianus se conuiciis alternatim conse-  
 ctabantur, vicissimq; pugnis se onerabant egre-  
 giè. M. Vidistis? E. Vidi cum fortè fortuna in  
 eos ambulans incidissem, M. Quo tempore? E.  
 Haud multò post quàm solutæ sunt scholæ. M.  
 Quo in loco? E. In publico, ante domum Cypria-  
 ni. Mirabantur prætereuntes, & consistebant.  
 Quin his auribus audiui qui dicerent. Opueros  
 malè moratos. Vtinam aliquis Magistro rem  
 indicet, vt is ambobus pro dignitate stipendiū  
 numeret. M. Tantūne est? E. Tantum. M. Fa-  
 cinus improbum. Surgite & prodite in me-  
 dium bellicosi homuli. Hancine disciplinam  
 aut à parentibus vestris, aut à me percepistis?

hæccine vos flagitia consciscere? contumelias  
 intorquere, & obferere pugnis sodales suos?  
 G. Coëgit me Cyprianus. C. Tu me coëgi-  
 sti. M. Vtrumque nequitia sua coëgit, ambo  
 furore & amentia impulsī ab officio discelsi-  
 stis, de hoc nulla est quæstio. Me tamen cogi-  
 tis vobis pro isto conflictu mercedem libera-  
 lem, præsentī & probata pecunia tribuere. Ex-  
 pedito mihi virgam Euariste de virgis meliori-  
 bus, actutum. E. Curabitur. M. Quæ porro  
 controuersia conflauit hoc duellum? G. Irride-  
 bat me suspensō naso Cyprianus, quod per cali-  
 gas indusium dependebat, & risu penè emori-  
 riens, multis qui fortè circumstabant audienti-  
 bus: En, inquit, iste tam auidè cibum vorauit,  
 vt ipsas quoque mappas deglutiuerit. M. Mag-  
 na verò & sine dubitatione intolerabilis iniuria.  
 Cur ad sartorem subligaculum reficiendum  
 non deportasti? G. Non aduertī esse lacram.  
 M. Non aduertī Sat argumenti, te morum ciui-  
 litatem non attigisse vel extremis digitis. Ad-  
 rusticanos cum isto Gervasio, qui cum vr-  
 banus sit, urbanum nihil habet. Iam, quas  
 tibi contumelias imposuit? C. Nebulonem  
 & proditorem me appellabat. M. Quibus tu  
 Gervasium epithetis contra conhonestasti?  
 G. Bubulcum & asinum me nominabat. M.  
 Hoc fuit tuis cecinisse, deinde extemplo  
 secutum est prælium, ventum ad manus con-  
 tudistis, alterutrum: nonne? G. Factum heu

C. Ac nisi me in pedes dedissem, cerebrum mihi diminuisset; sic iracundia & furore exarserat. M. Ego, vt munificus Imperator, istis duobus tam strenuis bellatoribus propter generosissimam velitationem dabo cōgiarium. Et quia Geruasius ob causam leuiorem tantopere non debuit excandescere, dabo illi maius. Te quoque docebo Cyprianē, huiusmodi scurrilibus iocis, & intempestua dicacitate abstinere de cetero. Ite, & ad præmia capiendā resolutis ligulis vos comparate. P. Præceptor, Alexius pingit. M. Alexi quid facis? A. nihil. M. nihil? at iam faciam tibi aliquid. Exhibe chartam. A. nihil est. M. Ostende sine mora. A. Quæso. M. videam. O Alexi, ecquando in ludum pictoris iusti? quam graphice adumbras canes & ceruos? Suppone sinistram ferulæ: suppone, ecquid audis? A. ah, ah. M. Concerpito. Si rursus deprehēdero pingentem, seis quid tibi depicturus sim? A. Scio. D. Præceptor, licet ne pauca? M. Quid dicturus? D. Ionas non habet librum, M. Vbi est liber tuus? I. Amisi. M. Siccine rem tuam custodis? Domi ne, an in schola, an in via? I. Nescio. M. Quæsiuisti? I. Tanquam si aciculam quærerem. M. Nisi tu ante noctem repereris, cras in te exemplum edetur, vt ne quis deinceps perdat libros suos.

## DIALOGVS XIII.

*Petirio lusus.*

PHILIPPVS, MAGISTER, PVE-  
RORVM TVRBA.

**P**HILIPPVS. Memoriter memini,  
Præceptor, dixissete aliquando nobis,  
necessariam esse in rebus vicissitudinem  
nec durare posse, quod alterna requie ca-  
reat. M. Quid tam postea? quam ob causam tu  
id mihi nunc subiicis? P. Haud sanè inconsultò,  
ac temerè tuam hoc loco repetivi sententiam.  
M. Ergo quod te mouit? dicito. P. Quoniam  
res quædam est, quam me à benignitate tua im-  
petratam auferre volo. M. Memora puer. P. Si  
molestè non es laturus. M. Nisi tu iniustà quid  
à me petas, indignè non feram, quidquid petue-  
ris. Nam vt iusta ab iniustis petere insipientia  
est; sic iniusta à iustis impetrari non decet. P.  
Netibi lubeat sinistram suspicari. Iustè ab iu-  
stis iustus sum orator datus, & aduenio omni-  
bus lubentibus, vt quod in rem nostram com-  
munem sit, hoc à tua lenitate obtineam. M. Elo-  
quere, quid est quod obtinere gestis? P. Paul-  
lum est. M. Quin tu vno verbo dic, quid est? P.  
Iam dies effluxere complures, ex quo libris  
semper affixi fuimus. M. Trabalibus clavis opti-  
nor.

nor. Subolet quorsum euasurus sis. Benè habet tibi principia. Pertexe telam, sed aptè, vt ne cõpellam te retexere. P. Et exercitationibus auditionum, scriptionum, recitationum, concertationum penè exhausti sumus. M. Itane verò? Exhausti? O me in discipulos atrocem, o crudelem P. Nec vnquam nobis vel ad momentum respirare, viresque fellas reparare datum est. M. Vt res suas exaggerat? quodque contritum est vetustate prouerbiu: ex musca elephantum. P. Quare vehementer etiam, atque etiam te rogamus, Praceptor noster, pomeridianis horis ad lusum remissionemque animi descendere tuo concessu licitum sit. M. Aequissimum postulas. Verum ego his conditionibus hanc potestatem largior. Vt absque tumultu ludatis, nèue quis alteri turbas ciere insistat. Vt ante quintam ad libellos redeatis. Vt deinceps manibus pedibusque, cum hasta, cum scuto, quod aiunt, ad vestra studia incumbatis. P. Iustæ conditiones: accipimus, vt pro tota schola respondeam. M. Capes se cursum, condiscipulos affice tam bono nuncio. P. Gratias magnas, ingentes tibi agimus, hu manifestissime atque optime Praceptor. Heus he<sup>9</sup> pueri. P. v. Nunquid nam apportas noui? frontem exporrexisti, hoc omen placet. P. Oneratum latitia pectus apporto. Ego vester hodie orator & exorator fui apud Magistrum. P. v. In quo? P. In ludendi venia. P. v. Voluptatem magnam nuntias. Habemus ergo rem factam? P. Factam.

Etiam. P. Bene factum & volup, est. Denste bene amet. Ludemus igitur? P. Nisi mauultis inhæ-  
 rere libris. P. Valeant libri. Ludamus socij, eu-  
 ge ludamus. P. Silete, non permittit gratis lude-  
 re. P. Quam mercede? P. Vt absque inconditis  
 clamoribus, absque strepitu, crepitu, fremitu; sic  
 enim interpretor quod dicel at de tu multa &  
 iurgio vitandis. P. Fiet. P. Vt ante quintam ad  
 libros nos recipiamus. P. Fiet. P. Vt deinceps  
 neruis omnibus discamus. P. Hic melius est  
 respondere, fiat, quàm fiet: optare, quàm pro-  
 mittere.

## DIALOGVS. XIII.

*Idem argumentum.*

PHILIPPVS, MAGISTER.

**P**HILIPPVS. In memoria mi-  
 hi est, commendasse te aliquoties no-  
 bis quietem & otium à continuatis stu-  
 diorum occupationibus, cum, haud  
 scio ex quo Poëta, versiculum illum recitares;  
 Interpone tuis interdum gaudia curis. M. Op-  
 timum est: vellem perinde fixisses animo  
 tuo alia permulta, quæ non semel de me  
 audiuisti. P. Dedita opera ad te venio.  
 M. Quapropter venis? P. Vt quidpiam

abs te auferam. M. Vt aliquid auferas? hem. Ego furatum huc venisti, quātum intelligo. Scis quomodo se tibi res habet; tu te auferaris faxo cum te in manifesto facinore deprehensum, lo-  
 ris adeo benignè cooperuero, vt vestigium facere non possis. P. Ridicularia nihil moror, alio interiore significatu hoc verbum cœpi, quo præteruectum est mentem tuam. M. Impetratus, vt sic dicam, ingressus es. P. Facultate ludendi vt abs te impetrarem, ideo huc aditus tuli. M. Morem antiquum atque ingenium hoc adolescens obtinet: magis de ludo & somno, quàm Alexander Macedo de orbe terrarum sub imperium subiungendo cogitat. Cum dies statuerit, tum ludes ad lassitudinem, contradicere te nemine. P. Mi Præceptor, sine nos lusitatum secundum meridiem. M. Non sino, neque istam rem in spe aliqua habueris. P. Quare tam præcisè recusas? M. Quod vos similiter satis precise indiligentes, & ignaui estis. P. Immò certè diligentes. M. Quàm iniquè comparatum est, vt nemo vnquam libenter semetipsum fateatur malum? omnes sese amant. P. De reliquo scitis nos quàm studiosissimos. M. Quod promittunt pueri, in vento & rapida scribere oportet aqua. P. Obsecramus (nam ego totius scholæ personam recepi) ne te hodie inexorabilem præbeas. M. Res de compacto geritur, quod scitebam equidem à principio. Ad tum agis, ab initio. Tempus discendi, tempus ludendi. P. Hodie sudum

Ludum ad deambulandum per amœna campo-  
 rum, & vmbrosa vallium nos inuitat, qua com-  
 moditate hoc toto mense caruimus: quippe cū  
 non singulos p̄nē dies pluuiam tolerauerimus.  
 Opprimenda videtur quæ præter spem obue-  
 nit occasio. M. Non moriemini, Philippe, hac  
 quidem de caussa, si lusionem differatis in pe-  
 tendinum. P. Sed si rursus cadant pluuiæ, &  
 cogamur domi residere, tanquam si dati simus  
 in carcerem? M. Tum vos indignissimè vexa-  
 tos prædicabunt etiam ipsi lapides. Licet domi  
 quoque sub tecto, & securius ludere. P. Licet sa-  
 piēnē quidem, at foris sub dio longè iucundius;  
 vbi certamus cursibus in stadio, vt Olympioni-  
 cæ, & venationes instituimus, aliàque delecta-  
 menta, quæ præsens sæpe vidisti. M. O impor-  
 tunum flagitatore. Sit potestas ambulandi so-  
 laras, & ludendi. Dicite Hypodidascalo verbis  
 meis, vti vos prosequatur, prospiciatque sedulo  
 ne quid postea querimoniarum ad me defera-  
 tur. P. Deus det tibi, Præceptor integerrime,  
 quidquid voles.

## DIALOGVS XIII.

*Ludus ex pacto concessus.*

MAGISTER, PVERI VI.

**M**AGISTER. Nimis crebrò luden-  
 di copiam, perinde, vt si quæratis ci-  
 bum ante famem, potum ante sitim,  
 requiem ante laborem: vultis enim  
 remittere cogitationes, priusquam eas post re-

missionem rursus intenderitis. Itaque vereor  
 ne facillitas mea vestros corrumpat animos; Pv.  
 I. Tantum modo duas horas largire nobis in gra-  
 tiam. D. Calsiani, quem à discipulis pueris li-  
 brariis scalpellis, stylisque æneis immiserico-  
 diter vita & spiritu priuatum perhibent. M.  
 Permittam equidem ludere, sed qua conditio-  
 ne? Pv. II. Hoc tuæ potestatis est. M. Hanc ne-  
 pe, ut è vobis septem ladant ij, qui vel apoph-  
 thegma, vel simile, vel sententiosum ex Poët-  
 verficulum, vel Ciceronis gnomicum aliquid  
 vel tria prouerbia, vel Æsopicam fabellam ex  
 memoria protulerint. Pv. I. Ego, si placet, fabe-  
 lam narrabo. M. Audio. Pv. I. Hæc dicit fortè  
 grege cum deerrasset, scæque lupus inseque-  
 tur, conuersus cum sic est affatus. Mi lupe, quæ-  
 do quidem tibi escam me futuram scio, quo in-  
 cundius moriar quæso, primum cane tibia, v-  
 saltem. Lupus canere cœpit, & saltare hæc dicit.  
 Tum canes id audientes, lupum acerrimè insti-  
 terunt persequi. Is sese ad hæc dicit vertens. M-  
 rito, inquit, hoc patior; oportebat enim me, co-  
 cus cum sim, tibi cinem non agere. Docet apo-  
 logus, eos qui negligant ad quæ natura sunt id-  
 nei, & quæ aliorum sunt exercent, in incommo-  
 da sæpius incurrere. M. Dicat secundus. Pv. II.  
 Virg.

*Optima quæq; dies miseris mortalibus aui-  
 Prima fugit; subonut morbi, tristisq; senectus,  
 Et labor, & dura rapit inclementia mortis.*

Pv. III. Cícero. Graue est homini pudēti petere aliquid magnū ab eo, de quo se bene meritū putat. ne id quod petat, exigere magis, quā rogare, & in mercedis potius, quā in beneficij loco numerare videatur. M. Elegans, & verissima sententia Pv. IV. Ignis non extinguitur igni. M. Explica. Pv. IV. Malum malo non emendatur: iram non sedat iracundia, sed lenitas: aduersos casus reddit leuiore patientia; iniuria superatur beneficio. M. Belle. Jam secundum profertur, nam tria imperavi. Pv. IV. Annosa vulpes haud capitur laqueis. In eos valet, qui ob lōginquā aetate multarūq; rerū vsum callidiores sunt, quā vt arte dolisq; decipi queant. M. Optime Pv. IV. Canis sequit in lapidē. In eos, qui mali sui causa nō veris iustorib. adscribūt. M. Audiam? Pv. V. Nihil occurrit mihi. M. Nihil ne? hē. Pv. V. Nihil profus. M. Ne iuferis. Sextus. Pv. VI. Vt grauiore poena multadi censeatur, qui venenū nō in vnū aliquē craterē, sed in fontē iniciāt, vnde omnes bibunt: sic scelerat⁹ peccant qui Principā, quā qui priuatorū ingenua peruertunt. M. Praclare dictū à Plutarcho scilicet. Pv. VII. Diogenes formosas mulieres, quę pudicitia in propatulo habent, similes dicebat multo letalibus succis tēperato, quod afferrent quidē initio voluptatē, sed quā perpetuus dolor consequeretur. M. Sensibus hęc imis, res est non parua, reponite. Fugite fornicationē, & templa Dei ne facitote membra meretricis.

## DIALOGVS XVI.

eis. Ergo omnes, dēpto illo vno, qui fuit a ymbo-  
 los, ad ludendam properate: veruntamen, vt po-  
 stulastis, horas non amplius vnam & alteram.  
 Pv. I. Prægaudio vbi sim nescio.

## DIALOGVS XVI.

*Nox transacta.*

GABRIEL, LAURENTIVS,  
 NAZARIVS.

**G**ABRIEL. Saluere iubeo soda-  
 les meos, te Laurenti, & te Nazari. L.  
 Nos te vicissim. Vt vales? valuisti?  
 nam te quatuor ipsos dies nunquam  
 oculis vsurpauimus. G. Paulo deterius, quam  
 heri, & nondus tertius, quartus, quintus. N. Quā  
 obrem? G. Propterea quod ista nocte, que pre-  
 celsit proxima haud placatē dormiui. L. Malē  
 narras. Aliquo fragore nimicum iterum iterum  
 que expergestas. G. Fragor quidem nullus  
 me perturbauit: sed N. Sed quid? G. A. B. R.  
 Mirum atque inscitum somniaui somnium.  
 N. A. Z. Quod somnium? G. Terriculamento-  
 rum plenissimum. L.

*Somnia fallaci ludunt temeraria nocte.*

*Et pauidis mentes falsa timere iubent.*

G. Non eo dico, quia nunc metuum: sanè qui-  
 dem nouo metu fractus omnino ac debilitatus  
 cohort

cohorruī, steterunt que comæ, & vox faucibus  
 hæsit. Videbar enim ( oblitus sum perpetrati  
 piaculi ) ad subsellia iudicum seuerissimorum  
 raptari à liëtoribus, inde condemnatus ad mor-  
 tem duci. Iam carnifex romphæam distringe-  
 bat, vt caput meum à ceruicibus amputaret.  
 Amabo, quid vos animi in illo omnium grauif-  
 simo præsentissimòque periculo haberetis? L.  
 Ingenuè dicam quod sentio. Ego qui vel mus-  
 cas præteruolantes horreo, ante mortem ipsam  
 morerer. N. Abeant somnia in malum crucia-  
 tum: nos vota Deo faciamus, vt mala somnio-  
 rum tenus, & bona quæque vigilantibus nobis  
 eueniant. G. Quid verò? vos hac nocte quieui-  
 stis ex sententia? N. Ab octaua vespertina ad  
 septimam matutinam iucundissimè; & toto pro-  
 stabam pectore somnum. L. O factum pulchrè.  
 Macte noua virtute puer; sic itur ad astra. Ego  
 ad intempestam noctem legi, donec me lucer-  
 na deseruit. N. Tu alter Demosthenes eris. Pro  
 discendi ardorem insolitum. L. Tibi inso-  
 litum, & gregalibus tuis, qui libidinem in som-  
 no habetis. N. Parcius ista viris tamen obiicien-  
 da memento. Laurenti, nos, vt noris, quieti no-  
 ctem, labori diem impendimus, ad naturæ præ-  
 scriptum scilicet: cui repugnare, quid est aliud,  
 quàm gigantum more cum diis bellare? ait apud  
 Ciceronem Cato. L. Apage cum istac propug-  
 natione ignauia tua. Nam hoc, crede mihi, nū-  
 quam obtinebis, vt te somniculosum, & laboris

## DIALOGVS XVII.

fugitantem ne iudicem. N. Quod lubet. Ideòne aut ero qui non sum, aut non ero qui sum? G. Qui deinde, mi Laurenti, somnū inire potes, cū ita peruigiles? L. Cœna terrestris est mihi: quocirca inter me & somnū perbene conuenit: cum volo, me obtinet, cū nolo, me relinquit. G. Malim equidē tuas vigilias, quā huius ronchos. N. Ecce autē secundū aduersarium. Noli tu quoq; Gabriel, me ludos facere, cum hoc Laurentius affatim prestiterit, & in isto officio te anteuertit. Quod nisi desistitis, Magister mox aderit: quo ditceptatore bellum utrique indicam. Ibi cognoscetis, quātum uestris peruigilationibus consecuti sitis. G. Caueto ne istos tibi spiritus comprimamus. N. Vestras ego linguas ita occludam, ut de somno meo ne nullare quidem audeatis. L. Eris mihi magnus Apollo. G. Res ipsa erit testimonio. Auditione aduenientem quempiam? Præceptor est, verè est, ipse est.

## DIALOGVS XVIII.

*Virga.*

VALENTINVS, SIMON.

VALENTINVS. Tūne ignoras, Simon? Magstrum hesternò die pomeridianis explicationibus finitis, pueros aliquos virgā gatam misisse in suburbanum nemus? S. Pro deo

lor, qualem historiam, quam terribilem auditu? Quis retulit? V. Ipsemet vnus fui de illo ternario. S. Multasne confecistis? V. Bene multas, bene crassas, bene longas. S. Vx, vx, V. Haud libenter vtique, in eam rem locaui operam. Sed quid agas? accersit, accurrendum; præcipit, faciendum; vetat, intermittendum est. Nisi extemplo pareas, primò dum acris increpatio, increpationem acriores plagæ comitantur. Ego verò præptarim quamuis multas ex arboribus defringere & colligare virgas, quàm virgarum causa virgis lacerari. SIMON, Non improbo quod mandatti parueris, cum ipsemet non aliter facturus fuerim. Recentibus & flexilibus virgis, atque vt tute confirmas, tam crassis peius metuo, quàm arefactis, gracilibus vsuque ipso detritis. Huiuscemodi tres quatuorve elapsa hebdomade, cum primus scholam introgressus, nullum præter me conspicarer confregi, confractas in hortum de fenestra abieci. V. Nulla te religione tactum, tam periculosum facinus? S. Haud te præterit, non fieri sine periculo magnum & memorabile facinus. Non multum intercessit temporis, cum Magister ira inflammatus auctorem & conscios noxæ inuestigauit. Negantibus reliquis, ego quoque negare liquido, & fingere alia omnia. V. Cur non es confessus veritatem? S. Rogitas? quia mercedem nimis grandem huic confessioni destinata, summum, scilicet in cruciatum me veterum esse intellige

intelligebam. V. Ne chorda oberres eadem: nā  
 intales (nec ipsorum immerito) sœuire non est  
 Præceptoribus: videntur quippe oïores & ini-  
 mici iustitiæ. S. Volebam gratificari meo cor-  
 pori, vobisque singulis. V. At nullus extitisset,  
 qui si ob commissa verberibus accipiendus fuif-  
 ses, ipse suum corpus pro te supposuisset. S. Re-  
 ètè. Omnes sibi melius esse malunt, quàm alteri  
 V. Ceterùm non est quod timeas; prius exares-  
 cent omnes virgæ, quàm tu cadare: eò tolerabi-  
 liores erunt. S. Equis præstabit me vel vnum  
 diem fore tutum? frèquenter vna interrogatiun-  
 cula, cui respondere nequeas, in extremum te  
 periculum adducat. V. Quam vellem reperire-  
 tur aliqua via euadendi istas percussiones, seu  
 carnificinam potius. S. Alia nulla est, nisi vt dis-  
 camus, quàm diligentissimè, quò ab istis plago-  
 sis & eiulantibus scholis, ad felices illas, tranquil-  
 las, & quasi deatorum insulas transferamur. V.  
 Hoc intra triennium non erit. S. Eheu. V. De-  
 terrimo loco sumus. S. Attamen eo quo fuerūt  
 quondam, qui nunc sunt Iurecos. Philosophi,  
 Oratores, quo fuit ipse Præceptor; si quidem  
 in pueris fuerunt omnes. Adhæc non est nobis  
 dedecori multari virgis à doctõribus in gymna-  
 sio. Populo inspectante per vias oppidorum ce-  
 di atrociter à carnificibus, ob edita scelera, hoc  
 est in turpidissimum sempiternumque dede-  
 cus incurrere. Quod si vocifereris elatissimè,  
 minus sentiuntur ictus. V. Tantò ferit ille vali-  
 diùs,

dius, quanto tu clamas horribilius. S. Obclamo-  
 ris magnitudinem cessare interdum cogitur.  
 V. ò vafritiem. Caue ne os tibi obturet, aut li-  
 gnum trausuersum inferat. S. Hic esset Phala-  
 ritmus meo quidem animo. Preces & obtesta-  
 tiones item non mediocri emolumento sunt  
 illo tempore. V. Assentior, & nunc redeo in me-  
 moriam, te non ita multos ante dies ideo per-  
 cussum leuiter, paucisque ictibus, quòd te sta-  
 tim moriturum clamares, & per diuina huma-  
 nàque omnia, perque extremi iudicij diem, vt  
 temperaret obsecreres. S. Vnde vnde auxiliũ,  
 Valentine, in tam horrendo discrimine accer-  
 sendum est Ego met mihi, sibi quisque est cha-  
 rus.

## DIALOGVS. XVII.

*Colloquium in schola.*

GEORGIUS, THOMAS.

**G**EORGIUS. O ho Thoma, iã vl-  
 ciscarme. Frequenter abs te accusa-  
 tus, paria reponam. T. Aliquoties ac-  
 cusauit te, non eo inficias: sæpius, ne-  
 go. G. Quare autem vel aliquoties. T. Quod cõ-  
 merueras, & mihi quoque non plus est parsum  
 ab aliis. G. Nunquam te læsi, T. Imò reum me  
 fecisti. G. Nunquam. T. Quid est porrò quod  
 me cogitas accusare? quid culpæ contraxi? G. Scã  
 num

num cultello scriptorio conscindis, quod prohibuit Præceptor; & tuum nomē incidis, quod grauius prohibuit, eâque de re flagris alios accepit. T. Oro te, tace; cera complebo sulcos illos aut radam lignum, ne appareant literæ. G. Vah consilium callidum. Quid dabis in loco mercedis. T. Summissè, ne audiat Magister. Pulcherrimum de globulis meis. G. Autulisti tecum? T. H. O. Non omnes. G. Quot habes? T. Septem. G. Monstra, si placet. T. Eū. G. Sunt elegantes. Facisne mihi copiam eligendi quem præcipuè probauero? T. Facito. G. Hunc eligo. T. Iustum eligeres; meo enim iudicio relinquit alterum præstantia. G. Non tam aptus est ad manum meam propter magnitudinem. T. Ergo iustum, paullo minorem. G. Sine tentem. Nimum paruus est. T. Retinebis igitur, quem primum omnium sumpseras. G. Ita faciam. Quam venustè nigro albòque distinctus, venulas quasdam ostendat? E. mistine, an lucro acquisisti? T. Lucro. G. à quo? T. A. Leonardo nostri vicini filio, quo cum persæpe ludo. G. Si tam scitè factis abundat globulis, prouocabo illum ego similiter ad certamen. T. Vix aliquando vincitur peritissimus enim huius scientiæ puer est. G. Et me lusorum non vltimum esse cognosces. At at comprimamus orationem. Præceptor de Cathedra descendit, ne confabulantes inueniat, & ad potnam vocet. Profecto haud multum abest à nobis infortunium.

## DIALOGVS XIX.

*Arma scholastica.*

MICHAEL, AMBROSIVS.

**M**ICHAEL Scholam petentibus nobis in dies singulos, ac penè inco-  
 lentibus, cum instrumenta, vt alijs  
 cuiusvis generis artificibus sua ne-  
 cessaria sūt, illorumque appellationes quædam  
 mihi exciderint, obsecro, quod sine molestia  
 tua fiat, redige illas in memoriam meam, & ve-  
 lut sub vnam aspectū subiice vniuersa. A. For-  
 sitam non subibunt animo omnia, quanquam  
 adeo multa non sūt. Verum si quid nesciero,  
 ait Plautinus Pseudotyndarus, id nescium tra-  
 dā tibi. M. Non verā vitio, aut nō recordari aut  
 nescire te, quod ipsemet vel nesciā, vel non me-  
 mineim in præsentia. A. Interroges licet, quò  
 cōmodius accipias, quæ cupis. M. Sic agā, & ad  
 duo capita, quò distinctius res agatur, regimen  
 tū totū reuocabo. A. Ad quæ? M. Scholastici aut  
 legunt aut scribunt; quocirca duorū generū in-  
 strumentis indigent; vnīs quæ ad lectiōnē ipsīs  
 inferuiant; alteris quæ ad scriptiōnē. Videor ne  
 opportunè distribuissē? A. Et valde quidē. M.  
 Enumera iā quæ referuntur ad primū genus. A.  
 Liber, libell<sup>o</sup> quò spectāt pagina, pagella, margo  
 seu

seu ora libri, inuolucrum seu operculum, quo  
 vestiuntur libri, vt ab iniuria vetustatis & pulue-  
 rum conseruentur. Huc filum, acum, ceram,  
 quorum apud nos non infrequens est vsus, re-  
 ferre potes. Eodem pertinet pluteus. M. Quid  
 est pluteus? A. Pluteorum alius dicitur arma-  
 rium siue repositorium librorum, qui etiam in  
 forulis reponuntur. Alius est tabula seu scriniũ  
 quod sibi scribentes subiiciunt; barbaris pulpi-  
 tum. M. Habeo ista: procede ad cætera. A. Res-  
 sistant nomina secundi ordinis. M. Quænam illa?  
 A. Charta siue papyrus. Iam chartarum alia vo-  
 catur Augusta, tenuis nempe & candida, ad epi-  
 stolas accommodata; appellata sic est ab Augu-  
 sto. Alia dentata, alia bibula, quæ transmittit li-  
 teras: alia Claudiana, regia, imperialis, amplo fo-  
 lio & crassa: alia emporica, mercibus inuoluen-  
 dis idonea, vnde cuculli fiunt: alia charta virgo,  
 ex qua nullum est descriptum exemplar: alia  
 pura, in qua nihil est literarum: alia pergamena,  
 quoniam apud Pergamum Asiæ urbem inuen-  
 ta sit, etiam membrana dicitur. Hæc de charta-  
 rum generibus. Atramentum scriptorium siue  
 librarium. M. Cur addidisti scriptorium siue li-  
 brarium? A. Quòd aliud est atramentum fuligi-  
 neum, quo vtuntur Typographi, aliud sutoriũ;  
 quanquam consuetudo, quæ est verborum do-  
 mina, nihil solet adicere. Atramentarium, cala-  
 mus absolutè seu calamus scriptorius. Culter-  
 illum, graphiarium seu scalpellum, scalprium li-  
 brarium

brarium vocat in Vitellio Suetonius, vt docti  
 annotarunt. Thecacalamaria seu graphiaria, the  
 ca siue pixis pulueraria, siue arenaria. M. Annō  
 putas aliis quibusdam armis nos indigere? A.  
 Immo: sed præcipua recensui. Sunt ergo insu-  
 per forfices, clepsydra, regula, circinus æneus, &  
 nōnunquam, præsertim in ætate, cum Sirius ar-  
 dor findit agros, & verficuli componuntur, mo-  
 deratus vini haustus.

*Ingenium potis irritat Musa Poetis.*

*Bacche soles Phæbo fertilis esse tuo.*

inquit Propert. M. Optatissimum verò instru-  
 mentum: nominasses hoc primo loco. A. Nam  
 quia carmina lætum sunt opus, vt cecinit Ouid.  
 vinum exhilarat animum. Et sæpe audisti illud  
 Ecclesiastici: *Vinum latificat cor hominis.* M. Proba-  
 bilius dixisses, pecunia quoque vt instrumento  
 opus esse scholasticis, idque non interdum, sed  
 continenter; qua suppeditante, multo hilarior  
 fit mens, quàm vini potu: & pecunia vinum emi  
 potest, vino pecunia non emitur, emi certè qui-  
 dem non dicitur. Nunc de hoc in me collato  
 beneficio multum te amo, tibi que gratias ago.

## DIALOGVS XX.

*Dies remissionis.*

POLYCARPVVS, IGNATIVVS.

POLYCARPVVS, O dies Mercurialis,  
 credibile non est, quàm optatus & charus  
 illuxeris, vt aliàs in hebdomadas singulas.

D

Celebri:

Celebritatis, venustatisque plenus es I. Perno-  
 ui cogitationes tuas. Quia lufurus es, idcirco  
 tam amicè falutas præfentem diem. P. Vellem  
 alternis reuertere? nam continens biduum nau-  
 feabundus tracto literas. I. Votum afinorum  
 qui, fi loquerentur, optare fe dicerent cum Po-  
 lycarpo meo, vt alternis tantum dorfa onerati  
 incederent. P. Non ego hoc folus, Ignati, com-  
 plures mecum defiderant. I. Nempe fic eft pro-  
 fecto vt dicam tibi: multitecum magis amant  
 catellos fuos, quàm ftudia bonarum artium,  
 creduntque fibi dormientibus omnia confectu-  
 rum Deum. P. Dum latinè loqui fciam mo-  
 do, Aristotelem & Euclidem tibi & aliis relin-  
 quam. I. At tu ne Latinè quidem aliquando  
 difces, fi audiendi, legendi, loquendi, fcriben-  
 di quandam perfeuerantiam non adhibeas. P.  
 Quorfus hæc tetrica & iucunditatis omnis ex-  
 pertia, vt Catones aliqui fabulamur? Hodie  
 insigniter ludendum eſſe aio, inſtaurandasque  
 vires, quas labor tam longus deſtauit. I. Nec  
 Ignatius ludum quietè inque neceſſariam recu-  
 ſauerit: quin paratus ſum hac ipſa hora tibi co-  
 lludere: nulla tibi hoc quidem in negotio à me  
 difficultas erit. Remiſſiones crebras & extra-  
 ordinarias odi, ſiquidem honeſtis moribus, op-  
 timarumque artium ſtudiis detrimenſa ſunt.  
 P. Tu fac, & ſenti quod collibuerit, mihi in-  
 dulgentia vacationum nihil poteſt contingere  
 gratius. Magiſtri viderint quid, quibus, quan-  
 do

do indulgeant: nostrarum partium esse statuo, quod conceditur non inuitis accipere, quotiescunque conceditur. Ignat. Olim cognosces te nimium lulisse. Polyc. Et tu peripicies olim, te nimium studuisse; quando, inquam, oculi caligabunt, ventriculus cibum male concoquet corpus totum pallor & macies obsidebunt. Nimia omnia nimium exhibent negotium hominibus. Ignat. O falsidicum vatem. Haud ita me intemperanter ingurgito literis, vt istas predictiones formidare oporteat? Audiui etiam eruditos plurimos; ad decrepitam aetatem æuam extendisse, cum assidue in libris literisque essent volutati. Polycarp. Ipse Thales ad sapientiam tuam merus nugator est. De sine philosophari: hæc lux hilariter consumenda est. Ignat. Quatandem ratione consumenda? Polycarp. Vixne in prata virentia concedamus, ibique pila experiamur palmaria? Ignat. Volo fanè: vtile & iucundum est hoc ludendi genus. Ascende è vestigio in conclaue, & defer amborum pallia cum pila. Polycarp. Vbi est pila? Ignati. In pluteo, aut certe in capsa ductili sub mensa. Polycarp. Eo vt afferam. Ignat. Aætutum redi, hic te expectauero. Polyc. Illic sum, atque hic sum.

(.?..)

## DIALOGVS XXI.

*Mutuatio calami.*

CONRADINVS, PIGMENTVS.

**C**ONRADINVS. Da mihi, oro, utendum calamum. P. Nullos habeo calamos hodie, quos tibi dem mutuos. C. Thecam plenam apud te vidi. P. Per somnium fortassis. Sed dicam vno verbo re totam: nullos habeo, quos tu commodatos retineas. C. Quæ tam mala mens in hanc te suspicionem impellit? tam peruersè de me existimas? Eho, nondum nosti mores meos; verum, ne sis in mora, da mutuuum calamum. P. Vbi tui? C. Meliusculos reliqui domi, deteriores portavi mecum per imprudentiam. P. At tu meum quodque disperderes, aut nimium premendo, aut in ipso intinctu, ad fundum atramentarij allidendo videlicet. C. Leuiter ducam per chartam, sensim intingam, salua cuspide. P. Multane descripturus? C. Tantummodò versus aliquot à Præceptore post horam explanandos: vt nimirum glossulas interserere queam, nam retinere eas non possum obtenuitatem memoriæ. Si quid mutuaberis à me, seu calamos, seu papyrum, seu librum, seu quid aliud, dabitur mutuū haud grauatè. P. Ecce tibi probatū calamū, quem dono

tuus

*Antonia Garcia*

170

tuis esto. C. Multum te, mi Pigmeni, de ista liberalitate amo. Experiar. Profectò idoneus est, si quis alius, ad decorè formandas literas.

## DIALOGVS XXII.

*Frustratio petiti atramenti.*

SIMPLICIVS, ZEPHERINVS

**S**IMPLICIVS. Magnum apud me beneficium poneret, qui paucillum atramenti in vasculum hoc meum, cuius linteolum pænè exaruit, infundere de suo dignaretur. Si gossypium, aut tomentum imposuissem, & calamos intingendo corrupissem, & iam pridem atramento caruissem. Tu Zepherine, quoniam circumfers atramentarium instar lampadis, aut mortarij vastum amplum, ne deneges mihi ad incitas redactò quam summissè peto stipem, seu elemosynam. Z. Vix quarta pars horæ præterit, cum alius idem quoque me poposcit; & dedi. Nunc si tibi similiter dederò, veniet tertius, deinde quartus, deinde quintus, & ita me exarmabitis omnino, & mendicitatem mihi offeretis. S. Non venient, interpono fidem meam. Z. Quis scis? S. Vidi cum intingerent calamos, referre eos ex atramentariolis madidissimos. Z. Quin aquam infundis? S. Excundum esset è schola currendumque ad fontem in fo-

DIALOGVS XXIII.

rum propter sex septem aquæ guttulas. Z. Infæ-  
 pue. S. Linguam nimis siccam gero. Da si quid  
 das, & si vis dare bis, dactilo semel. Z. I. aliam  
 quercum excute, aliunde exora quo indiges:  
 atramentum hoc mihi coxi, non tibi. S. Saltem  
 da mutuum si non vis gratuito, rem tantillam.  
 Z. Pergin, aures tuudere? abi hinc. S. Aliquan-  
 do tu etiam egebis aliquo, tum accedito ad Sim-  
 plicium, par pari referet. Spectate huius Zephe-  
 rini inhumanitatem & auaritiam. Ego te pro is-  
 tis factis maectabo infortunio.

DIALOGVS XXIII.

*Comparatio nominum, verborumque  
 coniugatio.*

ELIAS, ARNOLDVS.

**E**LIAS. Demus finem huic colloca-  
 tioni temporius, exemplo coram ade-  
 rit Præceptor, exacturus quæ heri  
 reddenda imposuit. A. Quid ergo fa-  
 cto opus est? E. Meditemur adiectiuum per ac-  
 cidentia, perque tres gradus & tria genera. A.  
 Hoc agamus, Quod erat illud? E. Benignus.  
 A. Declinemus in casus. E. Quoti ordinis? A.  
 Vitile & neutrum sunt secundi, muliebres est  
 primi. E. Cuius speciei? A. Primitiua. E. Fi-  
 gura

gura? A. Simplicis, E. Quotplex est figura?  
 A. Triplex; simplex, composita, de compo-  
 sita. E. Dic nominandi casum. A. Benignus,  
 benigna, benignum, E. Comparatiuum. A.  
 Benignior, benignius. E. Cur non sunt hic  
 tres voces vt in positiuo? A. Benignior est ge-  
 neris comunis E. Da suprelatiuum. A. Beni-  
 gnissimus, benignissima, benignissimum. E. Vt  
 habet in genitiuo? A. Benigni, benignæ, beni-  
 gni, benignioris, benignissimi, benignissimæ,  
 benignissimi. E. Cur est vnica vox in compara-  
 tiuo? A. Quia neutra in vs habent oris. Datiuo,  
 benigno, benignæ, &c. E. Iam tu interroga me  
 de verbo quod coniugandum erat. A. Com-  
 mendo erat. E. Istuc ipsum. A. Siqui didicit  
 Amo, non poterit errare in Commendo. E. Ni-  
 hilominus interroga. A. Indicatiuo presentis?  
 E. Commendo, commendas, commendat. Plu-  
 rali numero, commendamus, commendatis, cō-  
 mendat. A. Pro certo credo te nunquam lapsu-  
 rum. Verum hæc facilia sunt: si anomala infle-  
 etere & coniugare iusserit, tum sudabimus. E.  
 Id forsitan hodie futurum est. Professio cum cō-  
 iugarem nudiustertius Odi, multum id verbi  
 oderam; quia cum sit defectiuum, faciebat vt de-  
 ficerem. A. Recordaris, opinor, quemadmodū  
 me vexabant infelicia heteroclitica, & compara-  
 tiones anomalæ. E. St, auditur horologium: tuf-  
 sit, sereat ante ianuam Præceptor? parcamus  
 voci.

## DIALOGVS XXIII.

*Explicationum repetendarum ratio.*

VRBANVS, THEOPHILVS.

**V**RBANVS. Repetistine hesternam  
 explicationem epistolę Ciceronis? T.  
 Nondū. V. Quid egisti? T. Occupatus  
 fui in alijs. V. In quibus? T. In præceptis  
 Grāmaticæ ediscendis. V. Vtrūq; faciēdū fuit.  
 T. Si socio non caruissem, hoc quoque forsitan  
 præstitissem. V. Viste cum repetam? T. Nihil  
 malo. V. Principio reuocabo tibi in mentē ip-  
 sam argumentum epistolę verbis Gallicis tu  
 diffidens memoria, poteris in chartaceum libel-  
 lum referre. T. Nullo negotio retinebo, si iterū  
 audiero: nec enim est ita longum. V. Postea Ci-  
 ceronem exponam, verbum verbo, sequens cō-  
 structionis ordinem: mox sententiam senten-  
 tia, vt Præceptor solet. T. Et vt nos vult sese  
 imitantes facere in repetēdo. V. Postremò the-  
 mata indicabo cum accidentibus, & syntaxes  
 quasdam faciliores. T. Obstringes me  
 non vulgari beneficio. Secedamus  
 in locum solitarium, ne quis  
 hic nostra dicta arbi-  
 tretur.

## DIALOGVS XXV.

*Dicta alterna.*

CORNELIVS, RVFVS.

**C**ORNELIVS. Quid tam improviso ante meridiē è schola euocabare? R. Vt negotium quoddam patri meo coniectum darem. C. Cur eo curato non es reuersus? R. Perparum de hora supererat. G. Habes perfectam epistolam? R. Non. C. Haud igitur tecum in portu nauigas. R. Chirographum paternum affero, hoc me pœna eximet. Tu verò qua de causa hesternò die toto abfui- sti? C. Deterius valebam. R. Pedibusue? C. Ita, pedibus. R. Sic opinabar. C. Sic tu opinabaris, scilicet: noui iocationes tuas. Verùm audi. Tua mater est impensè litigiosa mulier. R. Quo teste id probas? C. Interueni aliquoties dum veligaretur cum vicina vestra, in eamque somne quod illi ægrè esset euomeret: quæ suo vicissim gladiolo, quàm acriter oppugnabatur, tam se strenuè, intra dentes tamen, defendebat. R. Et tua nouit exhaurire calices: nec hesternò mero foetet, quia in lucem semper bibit. C. Tunc semel vidisti? R. Semel? quoties ipsam vidi, toties hoc vidi: est etenim facie ebrosa, rubentibus verruculis ornata, longè ante aliàs specie,

## DIALOGVS XXVI.

ac pulchritudine insignis matrona. C. In toto oppido non est mulier matre mea frugilior, magisque sicca & frugi. R. Ain, tu? unde ergo tam potiora facies? C. Perfacilis est, & perexpedita responsio. Medicos i, percunctatum, quos illa consulit, & à contumeliis linguam coerce: alioqui futurum est, vt te maledicentia huius pœnitudo subeat. R. Quod habui summam pretiū persolui tibi. C. Ab alio expectes alteri quod feceris.

## DIALOGVS XXVI.

*Interrogationes variæ.*

L A Z A R V S, C E L S V S.

**L**AZARVS, Quandocunque ad flagnum citaris, Gelse (id quod propter tuam omnibus constatam segnitiam, qua ingenium sinis tepescere, non raro lit) quid est quod tam difficiliter te moues, tamq; inuitus cum tantis vociferationibus & vlulatibus pœnam satters? C. Velim tibi vel semel contingeret, quod mihi sapius ais vsuuenire; statim scires causam. L. Reuera (quod hic dicendum sit) detrimentosus tibi metipsum es: nam si absque tergiuersatione te subiiceres, clamoribusq; abstineres, clementiorem sentires vtique Magistrum. C. Id equidem cogito mecum, & apud  
 animam

animum propono : sed cum iam res est in acie nouaculæ, excidit repente propositum . Sic est ingenium meum: suus cuique mos . Quanti tu hūc librum emisti? L. Domidio floreni. C. Duc me ad tabernam huius bibliopolæ, ut mihi quoque emam auctorem istum. L. Maximè, dimissa schola. C. Vbi venduntur, quaeso, pulueres scripturarij? L. Nescio: ego autarenavtor, autare factis, & in puluerem redactis ouorum putaminibus. C. Non placet: ossei sunt meliores ac puriores. Nonnulli scobem apud fabros ærarios lima abrasam colligunt, eaque ad siccandas in charta literas vtuntur. L. Quo istis heri ambulatum? C. In hortos nostros. L. Quid cerasa vestra sunt nematura? C. Matura. Proximè futuro die remissionis eodem me euntem comitaberis, ut ipso gustatu experiare. L. Ago gratias, maiores acturus, si promissa patraueris.

## DIALOGVS XXVII.

*Amisus & promissus liber.*

V D A L R I C V S, O T H O.

V D A L R I C V S. Quid vult hic fletus?  
 O Amisi librum. V. Quem? O Emmanuelis Grammaticam. V. In scholane?  
 O, In schola, mi Vdalrice. V. Quo tempore. O. Hoc ipso die, ante prandium.  
 Cum

Cum enim dato signo discedendum esse domum,  
 egòque libellos meos colligerem, hunc non  
 inueni. V. Quæsiuistine apud vicinos? O. Ac  
 diligentissimè. Respondent omnes se esse ex-  
 tra noxiam, nec habere, nec scire quis habeat.  
 V. Non tu illico ad Præceptorem? O. Immò,  
 sed iussit vt se appellarem denuo post meri-  
 diem. V. Appella. O. Despero me recuperatu-  
 rum. V. Alias alij suos amiserunt. O. Sic est.  
 V. Nonne recuperarunt? O. Quidam, non om-  
 nes. Et hi, quòd rem suam male custodissent,  
 aut in ludo à doctore, aut domi à parentibus va-  
 pularunt liberaliter. Quod si hodie librum  
 meum non recepero, certiores faciam ipsos  
 oportet, vt pro hoc malo mihi dent malum. V.  
 Iuuabo te in quæritando Ermanuele tuo. Si  
 non inueneris, est mihi aliquanto tritius ipso  
 hoc exemplar eiusdem, id dabo tibi proprium.  
 O. Si non simulatè promittis, porrige dexte-  
 ram. V. En. O. Affudisti aquam, rediit animus  
 & cura omnis ex corde excessit. V. Lætus sum,  
 quòd te tranquillauit. V. & illi, qui se huius furti  
 astrinxit: nam & librum minimè retinebit, &  
 vberius quàm tu plorabit. O. Furem hunc  
 mihi dari in conspectum gestio: co-  
 ram in os laudarem ipsum, &  
 capillos conscin-  
 derem.

## DIALOGVS XXVIII.

*Auxilium, & consilium.*

EDMUNDVS, GALVS.

EDMUNDVS. Tantum sudoris & laboris indipiscor in hac epistola componenda, quantum adhuc diem in alia nulla. G. Quâ sit? E. Iliade longior est: hoc primum. Secundo loco plurimæ insunt voces, quas in Gallico Latino Calepino cogor quærere, vt *Gankler*, vn *Basteleur*, *Ferberstangen*, vne *perche de Tincteurier*, *Muscablaue*, Præterea scætet modis loquendi & prouerbiis difficillimis, nisi velim Germanismos inserere: vt, *die Leuzhur BancKhautten*, decoupper les hommes à la Boucherie, Et: *Mam soll die Leuz nicht an Belix setzē* à vn poul ne faut point de fourreur. Item: *Ich bin nicht dein Narr*, Je ne suis point ton bouffon: ac similibus. Quis me non exhibilet si dixerō, non oportet pediculos ponere in pelliceo: non sum tuus stultus? Primum illud ne Germanismo quidem exprimi potest. G. Coniicio significari eo genere loquendi detrahere de fama aliorum: sumpta videlicet metaphora, seu ducta allegoria à lannijs, qui carnes quas fecerunt iugulatis excoriatisque animalibus, in frustra secant bipennibus, & in officinis (*aux bancs de la boucherie*: ) venales

nales proponunt. Sic obtretores, & alienæ  
 famæ carnifices occidunt quodāmodo homi-  
 nes, eosq; vt carnes audientibus vendunt, apud  
 quos nempe eos in summi contemptum addu-  
 cunt, & planè dispicabiles reddunt. Hoc ergo si  
 ita est (vt equidem esse puto) ecquid animaduer-  
 tis quanta energia, quanta significatio sit in hac  
 formula loquendi Germanica? E. Animaduer-  
 to, tuāque interpretationem amplector. Verū  
 quid das consiliū? G. Quando in locos impedi-  
 tos incidis, Magistrum ora, vt te expediat: sic  
 enim iussit nos facere, egoque id non omitto.  
 Nuper cum nescirem quid esset Latinè. Haga-  
 te buen prouecho. Por hayr de la sartén cay en  
 las brasas: vtrumque ex eo cognoui. E. Imita-  
 bor te posita verecundia, quæ me hucusque ab-  
 sterruit.

## DIALOGVS XXIX.

*Chartæ in membranam confuta.*

CHRISTOPHORVS, HVGGO.

**C**HRISTOPHORVS, Mi Hvg-  
 go, est quod abs te petam. H. Pece auda  
 cet. C. Tribue mihi paulum opera.  
 Insue in membranam hasce chartas pu-  
 ras. H. Ipsemet insueres. C. Expers sum huius  
 artificij, atq; vt id credas inspice hunc librum  
 quam

quam sit inconcinne distortèque confutus. H.  
 Nec me bibliopegus erudiuit. C. Attamè qua-  
 si eruditus, concinne id facis. H. Si cui optimè  
 placet, ei optimè facio. Complicastine iam char-  
 tas tuas? C. Maximè: istę sunt. H. Da filum, acũ,  
 membranam. C. Cape omnia. H. Filium oportet  
 ceratum esse, vt opus euadat diuturnius. C.  
 Heus pueri, quis secum affert cerā? H. In meo  
 sacculo quæram. Aliquid certè reperio, ceram  
 albam, commodissima est huic rei: nuper mihi  
 hoc frustillum donauit ædituus ad tales vsus.  
 Tu porro attentus aspice me sumentem, & artem  
 discite, quo posthac aliena opera ne indigeas. C.  
 Aspicio intentis oculis. H. Ecce quemadmodũ  
 chartam chartæ arctius coniungo, vt spatium in-  
 ter illas nullum intercedat. C. video. H. Item  
 quemadmodũ supra & infra sunt æquales inter  
 se, nulla prominet. C. Aptè, artificiosè. H. Nec  
 foris in tergo fila superiora inferioribus longio-  
 ra visuntur: nec primum à secundo maiore in-  
 tervallo distat, quàm secundum à tertio, tertiũ  
 à quarto. C. Peritè. H. Nodi parui, & intus om-  
 nes. C. Sanè. H. Nunc tu cultellum accipe sis,  
 partesque chartarum superiores cautè scinden-  
 do aperi. C. Pro ista opera referetur gratia ti-  
 bi, mi Hugo. H. Satis gratiarum retuleris, si  
 me amaueris, in studijs abs te socordiam om-  
 nem reieceris, segnitiamque amoueris.

T. Vtrumque præstaturum  
 tibi recipio.

DIA-

*Handwritten notes:*  
 Pedro de...  
 ...

## DIALOGVS. XXX.

*Nomenclatura.*

MAGISTER, CLEMENS, LIBERIVS, DONATIVS, *pueruli.*

**M**AGISTER. Vixdum exactis sideribus dies se mūdo reddidit; cum vos puerorum flosculi ante alios omnes huc intro pedem infertis. Quinam cum prima luce potuistis expergisci? C. Mandatu matris famula nostra in dies me expergeficit, quanquam hodie maturius præter morem. L. Ast ego nunquam non sponte meo, & inuocatus, ac ferè semper bene manè consueui surgere. D. Ego etiam, Præceptor. M. Res difficilis ad credendum: pueri quippe, quibus sopore nihil est amicius, nihil dulcius, pro more non habent vltro ac per se de strato surgere. D. Certè surgo, expergefactus à nemine. M. Eo quid ientastis? C. Ita L. Dum offa coquitur, visum est nimis longum; quapropter relicto ientaculo huc approperavi quàm maturrimè. M. Pulchrum in hac ætatula facinus. Quid si ego darem nunc tibi ientaculum? L. Cum nihil sit tibi, quid dares? M. Quo nihil edis libentius? M. Mihi etiam, Præceptor. C. Et mihi, obsecro.  
M. Nihil

M. Nimum satur fieres altero ientaculo. C. Eia, quæso. M. Liberi, si promptè & nunquam interstiendo recitaueris, quæ heri nominatibi ediscenda præscripseram, ecce, istas septem ficus, cum hisce amygdalis præmium tolles, D. Ego quidem nomina mea teneo, vt qui perfectissimè. C. Ego, ego mea referam memoriter. M. Liberius esto primus: eum si memoria fefellerit, tum vos duo de istoc honorario in certamen venietis. Sed cuius ordinis sunt tuæ voces? L. Rerum Cœlestium. M. Tuæ Clemens? C. Dignitatum & munerum Ecclesiasticorum. M. Tuæ autem Donate? D. Dignitatum functionū que ciuiliū. M. Incipe. L. Deus Pater, Deus Filius Deus Spiritus sanctus. Sacrosancta Trinitas siue Trias, Numen, Diuinitas, Creator, Saluator, Seruator, Dei mater, Deipara virgo, Dei genitrix, Cœlites, Cœlicolæ, Diui, Sancti, Beati, Angeli, Archangeli, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, Viduæ, Innocentes, Cœlum, Sol, Luna, Stella. Astrum. M. Num intelligis quæ singulis subiecta sit notio? L. Optimè, imò. M. Qui sunt Cœlites? L. *Les Anges.* M. Archangeli? *Les Archanges.* M. Dei mater? *La mere de Dieu?* M. En accipem unufculum, & comede. Tu Clemens, edic tua. C. Quid erit præmij? M. Si omnia, & ea serie quæ se consequuntur reddas, erit quod dem tibi: nō omnes ficus absument Liberius. Si perperam, neque tunc indonatus abibis. C. Pontifex Maximus,

## DIALOGVS XXXI.

mus, Patriarcha, Cardinalis, Archiepiscopus,  
 Episcopus, Præsul. M. Quid hæres? Antistes,  
 Abbas. C. Antistes, Abbas, Cœnobiarcha, Monachus,  
 Concionator, Ecclesiastes. M. Quæ est  
 vis Ecclesiastæ? C. Eadem quæ concionatoris.  
 M. Quid ergo est Concionator? C. *Vn prescheur*  
 M. Perge. C. Parochus, parochus. M. Parochus  
 parochus: tene bis labi? Sacerdos. C. Sacerdos,  
 Diaconus, ædituus, sacra Virgo. M. Cetera ubi  
 sunt? C. Non iussisti plura. M. Haud recitasti  
 vt cupiebam. Tu melius Donate, D. Imperator,  
 Imperatrix, Rex, Regina, Monarcha, Princeps,  
 Dux, Comes, Baro, Dynasta, Heros, Heroina,  
 siue Herois, Præfectus, à cubiculis, à pedibus, à  
 poculis, apparitor. M. Qui sunt isti? D. *Vn varlet  
 de chambre, vn Lacqueys, vn Sommeillier, vn Huiſſier* M.  
 Cape has quatuor ficus, & confestim in ventrè  
 absconde. D. Vt præcipis. M. Sedete suo quisque  
 loco, & quæ adhuc præscripsero, celeriter ac non  
 uiter nomina ediscite. L. Etiam. Vt sapuerunt  
 tibi ficus Clemens? C. Præceptor, Liberius me  
 irridet. L. Commouit. C. Non impunè feres.

## DIALOGVS. XXXI.

*Iterum nomenclatura.*

A DALBERTVS, IODOCVS.

A DALBERTVS. Visne Iodoce, quæ  
 admodum tu me cōsueſti alicuius rerū ge-  
 neris interrogare nomina, sic ego vicissim  
 aliquan-

aliquando te interrogem? I Volo. A. Quænam ergo rectissimè complexus es animo? I. Musica. A. Recense primo loco instrumentorum musicorum appellationes. Sed maius industriæ tuæ documentum dabis, si ego Gallicè & permixtè ea nominauero, tu inde Latinè domines. I. Vtroque versum haud imparatum offendes. A. *vn Be don ou t abourin*, I. Tympanum. A. *Vne Harpe*. I. Cithàra. A. *Vne Guiterne*. I. Chelys. A. *Hac Kbret*. I. Sambuca. A. Imò sambuca, si ritè audita recorder, significat *de Sebu*. I. Nequaquam: sambucè est illa notio, non sambucæ. A. *L. archet*. I. Plectrum. A. *Vn cornet a boucquin, des Orgues, vn Luc*. I. Cornu, organa, testudo. A. *vn Lyre*. I. Lyra. A. *Vne flente*. I. Fistula. A. *vn Trompe te, vn haut boys, Sacqueboute*. I. Buccina, tibia, tuba, A. Enumera nunc, seruato quem ego secutus sum ordine, artificum seu musicorum nomina. I. Faciã in quibus potero, quorum meminero. A. Quod dedero, eo contentus ero. I. Tympanista, citharædus, Chelyus, seu cheliodos: dixit enim Magister, subiicienda Græca, eum Latina desunt, quãdò innumera sint Græca, quæ Latina iam, velut vsucapione patentur. A. Verum prædicas. I. Cornicen, organista vulgò, Latiniùs, qui organis canit, sicut dicimus aliquem canere fidi-bus, Lyricen, fistulator, buccinator, aulædus, seu tibicen, tubicen. A. Restantne alia quæ dã vocabula ad musicen spectantia, nec ita abstrusa, vt diapente & huic similia? I. O D.

Restant. A. Dic. I. Ligula tibiæ, *Pattache de la flûte*, Fides, *vn de fidicen*, *vn ionneur de Harpe*. Vesticuli, *Les chouilles d'vne Harpe*: Cantor, *Vn chanteur*. Psalteria, *Vne chanteresse*, Chorales, *Qui meinent des danses propres, avec des flûtes*. Harmonia, *Vne harmonie*. Pausa, *vne pause*. Cetera tute, *si voles, à Magistris disciplinæ huius petas*. A. Polles memoria lo doce. Obsonemus famem parum inambulando & de rebus ludicris sermones cædamus vsq; ad cœnam: tantum quippe spatij cœsationis Magister indulfit.

## DIALOGVS XXXII.

*Temeraria suspicio.*

BVRKARDVS, ALIPIVS.

BVRKARDVS. Me infortunatissimum, Nullus dies abit, quin amittam aliquid; nunc atramentariolum, nunc papyrus, nunc libellum aliquem, nunc calamum, vt in præsens. Schola ista est plena furum, nec pœnarum vllus iam hic est metus. A. Ne tu nos tam inconsultò in crimen vocaueris. B. Aliquem vestrum mihi surripuisse calamum oportet. A. Quis scis te attulisse? B. Quis sciam? nonne hoc literarum paullo ante exaravi? A. Vtere alio interim, dum priorem recuperes. B. Nec vnum præterea mecum attuli. A. Suadeo

vt in

vt in posterum feras semper tres, aut quatuor.

B. Scilicet vt sit, quos tu semper possis auertere.

A. Libentius ne tu cum malo quiescis, an sine malo, si copia est?

B. Quis potuit clepsisse, nisi qui mihi sedet proximus?

A. Quid ergo? Ioannes tibi à dextris nō asidet, sicuti ego à sinistris?

cur nō potius illū quā me arcessis furti huius?

B. Ioannem noui, mallet spoliari suis, quā mimum quippiam sublegere de meis: dissimilis tui est.

A. Certē dignus es virgis. B. Tace de virgis. quare me his dignum deputas?

A. Quia de me falsum audacissimē, sine teste, sine argumento pronuncias.

B. Hei, vtinam haberem calamū meum: quem eo molestiū amitto, quōd tertiū iam mensē vsus, sum adeō bonus & firmus est.

A. Quid si reddidero tibi calamum tuum?

B. Qui reddit, abstulit: atque hoc est, quod mihi dudum videbatur.

A. Non est hoc semper consequens, inepte. Tu tibi abstulisti.

B. Quomodo? qui post hominum genus natum sibi quidquam abstulit?

A. Quia super auricula, vt mos obtinet, reposuisti, postea es oblitus, quodq; nō amiseras, quæsiuisti, & alios furatos putauisti.

En tibi tuum optatissimum calamum: deinceps quoties amiseris, auriculam dexteram interroga prius, an viderit calamum, quā de innocētibus mentiare.

B. Mi Alipi, mi Alipi. Gratiās ago tibi: ignosce, obsecro, quod tecum egi suspiciōsius, atque im-

modestiū.

## DIALOGVS XXXIII,

*Somnus in Gymnasio.*

FABIOLVS, ERASTVS.

**F**ABIOLVS. Rabiosulum te autumo. E. Quam ob causam? F. Quod me modo trahis, modo pugnum in latus meum incutis. E. In laneum latisculum tuum. Cur dormitas? non decet hoc in schola. F. Mihi sic usus est: tu ut tibi opus est facto, ita facito. Tua quid refert? E. Mea quidem aliquantum, tua verò permultum. Nam si te dormire siuero, doctor me quoque ut infidelem custodem supplicio persecuturus est. F. Itane est? E. Itane est. Etiam dormitator, ita est. F. Permite ut dormiam. Quomodo nunc est, aliter fieri non potest. E. Istam à magistro veniam pete. F. Irrides? quasi tu dicas; pete ab atroci cane ut te mordeat: sua sponte mordebit. E. Ego profectò non feram, non patiar, non sinam ut dormias: vsque & vsque molestus ero, etiam acicula, ente compungam, ut clames, teque ipsum ut forex tuo indicio prodas. F. Heu, mitte me: vicissim indulgebo, si te somniculus corripuerit. E. Hanc abste gratiam nolo. F. Tamen. E. Iam reddenda erit è memoria hesternæ prælectio: excute somnum, frica paulum oculos, & relege

ge quæ edidicisti. Nisi faxis; à tergo, supra caput, ante oculos vindicta est. F. Quid relege? nihil edidici. E. Tum tu ipsa es miseria. F. Non exiget à me quidquam hac luce: non enim omnes id quod scis, quotidie recitare possumus, præ multitudinem. E. Ponamus exigere: quid dicet? F. Doce tu me quid dicendum. E. Pulchrè dictum. Egone doceam te mendacem fieri? nihil attraxit funis tuus. F. Actum est, verberabor, recitare non potero. Quid ergo proderit mihi si vigilem? vno dolore duo peccata expiabo: dormiam rursus. E. Dormi dormi, nihil moror. Si Magister me obiurgauerit, narrobo quid fecerim, quid dixerim tibi, quid tu contrà responde ris. F. Tantum neme expergefacias. Si etiam hodie vapulauero, non moriar. E. Quæ tibi verberatio faustè, ac foeliciter eueniat, mi Fabiole.

## DIALOGVS XXXIII.

*Litigium.*

PÆDAGOGVS, BLÆSVLVS, CVRTIOLVS *alumni.*

**P**ÆDAGOGVS. Germanus tuus, Blæfule, in discendo est impiger, citòq; arripit omnia, tu autè lente admodum, & ambulas gradu testudineo. B. Quid ergo tam crebrò obmutescit, cum te interrogante

gante respondendum est? P. Audin, Curtiole  
 C. Stimulat fratrem meum inuidia, ferre neuti-  
 quā potest cū abs te laudor. B. Egōne tibi glorio-  
 las tuas inuideo? scilicet laudatissimus homulus  
 es, præsertim cū mane surgendum. Ibi apparet  
 generosum pectus tuum; nam ad lectulum quasi  
 clavis affixus adhærescis. C. Tibi, obtrētator  
 hoc vitium est; nam ego vocatus soleo me cubi-  
 li proripere. P. Amborum vna culpa. Mea hoc  
 facit indulgentia: sed aliquando malis mala eue-  
 nient, B. Nihilolum sum te inferior. C. Quid eris  
 impudenter loqui, si hoc non est? nondum de-  
 elinationes deuorasti. B. Pridem concoxi. C.  
 Hebdomade antegressa exarabatur tibi corium  
 quòd vocabulum iusiurandum, in casus malè  
 inflectebas. B. Et tu ex vno errato colligis infle-  
 xiones me nescire? C. Si examinereris, vtique  
 peccares in plurimis. P. Ne superbi, Blæfules;  
 dabo enim potestatem Curtiolo te excutiendi  
 & introspectiendi penitissimè. B. Habet nihilom-  
 inus in schola conpluscus, quibus palmam  
 cedit. C. At tu interea manes indoctior, quam  
 nis me alij doctiores sint, vt sunt: ceterum vix  
 tres quotuorve ex omni copia. B. Si tam crebris  
 donarer munusculis vt tu, forsitam alacrius dis-  
 cerem. C. Imò tum acciperes, si alacrius disce-  
 res. Non ante, sed post laborem veniunt præ-  
 mia, si iustè veniunt. B. Abi argutule, consequar-  
 te, tametsi nolis. C. Si ego te cursuram incipien-  
 te consisterem, tum me non exæquares modò,  
 sed

*Handwritten notes and signatures at the bottom of the page, including the name 'Curtiole' and other illegible scribbles.*

sed etiam anteuerteres. Hoc tu si speras, despera. P. Satis verborum. Vterque contendat nervos: sic parentibus, mihi, cognatis futuri quàm charissimi.

## DIALOGVS XXXV.

*Hora producta.*

PATROPHILVS, ZACHAEVS.

**P**ATROPHILVS. Hæc hora tam longa est, vt si dimidiatus sit dies. Z. Mihi pænè annus videtur. P. Retraxit à cursu is, qui horologium moderatur. Z. Non abest suspicio. Egisset hoc bonus vir antequam scholas ingrederemur. At ille perpetuò post meridiem errorem horologij sui, vel suam potius incuriam ista hora corrigit, ponderàque sursum reuocat: quo in dies singulos ferme ad dimidium horæ tempus nobis prorogetur, cum alioqui totas quinque hic sessitemus, P. Vbinam igitur hæc iniustitiam deplorabimus; apud quem de ista iniuria quærimoniam habebimus? Z. Censeo apud Præceptorem. Verùm cùm ipsemet non ignoret tempus extendi, & tam leni animo id patiatur, videtur velle nos ultra definitum spatium hic inter scamilla hæsitare: quod tamen sine magna eius quoque molestia fieri non potest. P. Consilium dabo. Z. Da. P. Conuenia-

## DIALOGVS XXXVI.

ueniamus præfectum horologio, eumq; totius  
 sc holarum verbis rogemus, & honorariū pollicea-  
 mur, ne nos cruciet amplius; quin post hac non  
 solū non productiores, sed angustiores etiā ho-  
 ras reddat: quippe cū hic sedemus tam diu, & im-  
 merito, tēpus quod domi ad studia, ad cœnā lu-  
 sumq; relinquitur, necesse est fieri cōtractius,  
 Z. Nostra ætas, pro dolor, valde exposita est in-  
 iuriis: pueri enim contemnimur facilè, quia pue-  
 ri sumus.

## DIALOGVS XXXVI.

*Virtus in teneris.*

PARENS, LV DIMAGISTER.

**P**ARENS. Operæ pretium facturū me  
 credidi, si aliquando interrogarē te uti  
 se darent initia, quantūq; proficeret me.  
 Laurentiolus. L. Est cur Deo gratias  
 agas: mirandū in modū procedit in literis. P.  
 Iam huc accessum, & hoc abs te auditū gaudeo,  
 tibi que secundum Deum ago gratias singula-  
 res propter tuam diligentiam. L. Similes illius  
 vtinā essent omnes. Verum alios plerosque mi-  
 nis, & iētibus ægrè promoueo ad discendū quo  
 modo cunq;: iste tantū laudibus alitur, nihil que  
 pēius timet quam dedecus. Quòd si quando in  
 concertationibus frangitur (quod perquam ra-  
 ro contingit) plorat tanquam si parentem ami-  
 sisset.

fisset. Excellenti in primis est memoria: nam cū facile percipit quæ audit & legit, tū fideliter cōtinet. Quid multis? ducit classem suam; & cū tempus aderit ad scholam superiorē ascendendi, aut primus, aut à primo proximus est ascensurus. P. De moribus quid sperem? L. Non minora. Pius omnino puerulus est, Catechismū memoria tenet vt nomen suum; Rosarium secum assidue, & in sinu semper libellū precationum gestat, cum in tēplum venimus, quietissimus est, Deumque precibus colit quàm religiosissimè, quin & in ludo nemo ipso tranquillior, nemo ad parendum promptior. Aureū genuisti filiū. Precare numē cœleste, vti sospitem annos iuueniles conficere patiatur; magnam vtique & clarā Reipub. lampadem accenderis. P. Vix sum apud me præ gaudio. Insiste mihi puerum erudire, sicut facis, & scito te ob hoc vt fratrem fore mihi in medullis. Malo enim prorsus carere liberis, quam eos non habere quam præstantissimos: quales tua fideli opera me visurum spero. L. Deus votis tuis optatisque quam commulatissimè respondeat.

## DIALOGVS XXXVII.

*Recitatio.*

MAGISTER, DISCIPVLVS.

MAGISTER. Heus Andrea, comprehendisti in memoria, quam hesternò vespere explanavi epistolam? Disc. Verò, com-

comprehendi M. Quod felix sit, claude librū,  
 & recita distinctè, clara voce. D. Tullius Terentia  
 sua, & pater Tulliola, duabus animis suis, & Cicero matri  
 optime ac suauissime sorori, S. P. D. Si vos valetis, nos va  
 lemus. Vestrum iam consiliū est, non solū meum, quid  
 sit vobis faciendū. M. Altiore voce, vt omnes exau  
 diant. Date vacuas aures pueri. D. Si ille Romanū  
 modestè venturus est, rectè in presentia domi esse potestis,  
 &c. M. Andrea, nētū malè hanc tā bellā Andreae  
 epistolā memoria sepisti atq; custodisti. D. Re  
 uera domi tenebam perfectissimè. M. Oh, tibi  
 ego vt credam? Identidem inspiciebas librum,  
 & verba furabaris. Antiquum obtinebas. D.  
 Bis tantum modò, summū ter. M. Et mentiri  
 nō vereris? quoties clamaui, claude claude? Quā  
 sæpe in super ordinem verborum commutabas  
 priora posteriūs, posteriora priūs pronuntiādō  
 & aliquando tua pro Ciceronis, scortea pro au  
 reis videlicet substituebas. Frequenter præter  
 rea voces iam dictas repetebas, & denuo quasi  
 deglutiebas, vt interim posses aut ipse librum  
 aperire aliquantū, aut vicinorum aliquis sug  
 gerendo hærentē te in salebris expediret; quod  
 & nunc, & aliàs sollicitè præstitit Bernardulus.  
 Abs te ne mihi hanc afferri fallaciā? Noui ego  
 artes puerorum ad vnguem omnes. Senex sum  
 & seni verba dare difficile est. D. Fuit nimium  
 longa epistola, nequiuī totam ediscere. M. Ecce,  
 iam iam asseuerabas, domi te perfectè memo  
 riter eam complexum. Itāne tandem? tu ex vno  
 ore

ore calidum & frigidum? & aliud stans, aliud sedens? Cur non ingenuè factus es te nescire? D. Virgæ me terruerunt. M. Infelix puer, hoc magis pro commerita noxiâ te castigabo virgarum verberibus, quia ludificasti me, & ad fœcordiæ vitium vanitatis culpam addidisti. D. Volebam mihi consulere. M. Non consulit, sed nocet sibi qui sic recitat. D. Ego alio intellectu hoc verbû dixeram; pœnam paratam effugere studui. M. Ne tuum exemplum & impunitas corrumpat cæteros hodie cædaris necesse est, puerorû verberabilissime. D. Eheu, mi Præceptor modò tantum parce. M. Idem rogasti ante hac, & peperci: nunc luendum est commissum. D. Per tuum te caput, pèrque tuam senectutem, pèrque vitâ tuam obsecro. M. Si per omnia diuina & humana obtesteris, nihilo plus assequare, quàm si ab asino lanam petas, aut concioneris mortuo.

## DIALOGVS XXXVIII.

*Repetitio.*

## PUBLIVS, GAUDENTIVS.

**P**VBLIVS. Conferamus inter nos audita Gaudenti, antequam Magister huc aditû ferat. G. Non ausim. P. Quæ huic est offusa religio? qua de causâ nō audes, quod ipse Præceptor si resciscat nos agere, tantum

tum abest vt vlla castigatione afficiat, laudatio-  
 ne etiam prosequetur? G. Quia fit cum pericu-  
 lo. P. Quo periculo? G. Animaduersores isti me  
 hoc aliàs cum alio facientem in gregem fabula-  
 tiam per summum nefas aliquoties contecerunt,  
 vt ægrè postea, multa nimirum diligentiq; pur-  
 gatione vsus, constitutum garrulis supplicium  
 euitauerim. P. Vix adiungere dictis tuis fident-  
 queo. G. Putas me somnia narrare tibi? ac quã-  
 do me cuiuspiam rei tibi falsiloquum reperisti?  
 P. Nunquam. Sed cur ego non memini istuc ac-  
 cidere? G. Non semper es præsens in ludo; & te  
 absente potest accidere, quod postmodum vel  
 non credas, vel etiam mireris accidisse. P. Onus  
 fortasse declinas, & aliud in pectore, aliud in lin-  
 gua promptum habes. G. Aliter est, tutiora eli-  
 go. P. Quam tu vereris culpam, ego præstabor.  
 Consueistine solus tecum domi repetere expli-  
 cationes Magistri? G. Vt si conceptis verbis id  
 me facturum iurassem. P. Nō mirabor amplius  
 te nunquam non paratum inueniri, cum iuberis  
 auctorem exponere. G. Parum conducibile est  
 audisse Publi, nisi recolas quæ audieris: nec pro-  
 xima tantum, verum longinqua etiã, quæ que-  
 ante hebdomadam, ante mensem explicata fue-  
 runt, repetendo iteranda sunt, quoniã Themis-  
 toclis aut Carneadis memoria nō antecellimus,  
 facilèq; auditorum obliuiscimur. P. Posses nec  
 nou quidem in dies singulos, nam id neutri for-  
 ret commodum; at festis ac vacationū diebus  
 cum

cum scilicet otium est à scholis, pauxillum temporis mihi tribuere, mēque adiuuare, & communicare mecum hanc meam prouinciam? G. Ut vnā repetamus, & vicissim quæ obscuriora sunt declaremus? istuc vis? P. Nempe istuc. G. Equidem possum, & tua caussa volo. Venitabis igitur in ædes nostras. P. Habes musæum quietum, atque à strepitu remotum? G. Etiam, vbi nemo nos, ne musca quidem, nève musculus impediat. Sed satis verborum, iaciunt rete piscatores, fileamus.

## DIALOGVS XXXIX.

*Disputatio.*

EVCHARIVS, OPTATVS.

**E**VCHARIVS. Si cuiquam vestrum tantum adest fidentia, prodeat ex templo in medium, ac certamine mecum congregiatur, & vel summis mecum copijs contendat. O. Quid tu garris audacule? E. Ad disputandum quemcunque de condiscipulis presentibus pronoco, nemine excepto, ne te ipso quidem, etsi videris esse quantivis pretij. O. Quo fretus tam insolenter te iactas? E. Diligertia sola: tenes? O. Nos igitur hactenus dormiuimus, & tu, si cœlitibus placet, didicisti omnia, ceteris nihil reliquisti? E. Qui se cre-

se credit profecisse surgat, veniat, digladiemur?  
 O. Quasi tu sis præcipuus & inuictus disputator, ita gloriaris ventosissime atque confidentissime homiuucle. E. Recupio refelli, non meris negationibus & maledictionibus. O. Dolebis intimis sensibus, cum tibi video ruborem exculfero. E. Tu opinione tua deiectus, & à me pudore affectus recedes. O. Quo de vis disputemus? E. Hoc tui est arbitratus. O. Paratus es in omnibus? E. In omnibus. O. De nominum verborumque inflexionibus agamus. E. Vt voles. O. Capiamus arbitrum, seu legamus, qui amborum errores totidem punctis notet. E. Ad id iam se Albertus comparat, uti vides. O. Euge Alberte ne somniculose hoc agas, & nihil des gratiæ. E. Dimitte librum. O. Tu quoque abiice tuum. E. Nullum habeo. O. Suggestorem tibi nullum esse volo. E. Multo minus ego tibi. Egredere de loco tuo, & confide in scamno longo, quod affixum est parieti. O. Tu idem facito, sed è regione. E. Licet. O. Ne obruas me clamoribus, & spatium iustum ad respondendum concedas. E. Geram me ut par est. O. At si te vicero, haud eo contentus ero. E. Quid petes? O. Tuum mihi locum cedas oportebit. E. Haud recusem. Tuum, cum meo inferior sit, non postulo: aliud victoriæ præmium perfolues. O. Quale? E. Vel rosariolum tuum. O. Etiamne oculum adiecisti? E. Vel pulchram imagunculam, vel globulos aliquot delectioribus. O. Iniqua conditio. E. Quapropter

Locus meus honoratissimus locorū est, ista autem quæ abs te exacturus sum, honoris & ornamenti quid afferant? O. Etsi non optima apparet conditio, nihilominus quia factum hunc tuū retundere discupio, huius Martem utriusque inuadamus. Pone tuas quæstiunculas. Mox vel ad terram ictus corrues, vel præcipitem te fugæ mandabis. E. Res tibi erit in angusto.

## DIALOGVS XL.

*Observator.*

OBSERVATOR, ATHANASIVS,  
MATTHÆVS, BONIFACIVS.

**O**BSERVATOR. Vos tres, linguas geritis impensè, liberas & expeditas, loquacitas vobis dominatur, meam admonitionem contemnitis ac pro nihilo putatis. Ecce in fabulatorum indicem vos refero. Si Pegaso velociores sitis, nunquam hodie effugietis infortunium. A. Conuiuisti aliàs, conuiue nunc etiam, & muta istam mentem rogo; tacebo deinceps ut piscis. M. Si nomina nostra in catalogum retuleris, erit mihi, quod præceptor de te narrem. O. Quid dices? M. Cognosces. O. Minas iactare cuius obuium est. M. Experieris. O. Nullius in me maleficij crimen

F. admittit

admisi, cuius me stimulet consciencia. M. Senties. O. Nullū, inquam, crimen incurri, quo tu me accersas; & non ignoro technas tuas. M. Videbis. B. Ne scribe nomen meum in tabula, donabo tibi quidpiam. O. Egōne vt patiar me abs te corrumpi muneribus? B. Lepidissimum est. O. Non curo. B. Simul aspexeris, appetes. O. Mitte nugari, nihil habes quod dones. A. Habet certē. O. Quin ostendis? B. Ecce imago longē venustissima: augustissima Dei mater puerū IESVM vlnis sustinens. Videtis vt amabiliter arridet nobis diuinissimus atque bellissimus infans? O. Hancine daturus es? B. Daturus, si pollicere silentium. O. Polliceor, da. Queres feliciter ambobus eueniat, accipe. M. O factum bene, iam tu incorruptissime obseruator nec me, nec Athanasium audebis accusare. O. Quapropter non auderem? A. Quia nos te accusaremus, & tu penderes pœnas non leues, quod Præceptori infidelis ac perfidus extitisses. O. Ignosco vobis similiter, vt Bonifacio. M. Perplacet. Discede iam hinc, obserua alios. A. Prò, quantum boni adepti sumus hac luce, qui ab isto quidem Obseruatore quoad voluerimus tuti sumus. B. Quinam? A. Si de fracta lege silentij postulare quenquam è nobis meditabitur, obiiciemus illi, quam abs te accipere non recusauit elegantem picturam vt sileret: mutire non audebit. Nam tribus, tibi qui donasti, mihi & Matthæo testibus oculatis plus utique quàm illi soli vel

iurato

iurato credet: periurissimum dicet, si deieauerit. M. Via reperta est commodissima ad euadenda verbera, propter istam confessionem nostram videlicet imminetia. Vah.

## DIALOGVS XLII.

1

*Formula petendarum facultatum.*

EV DIMAGISTER, NICOLAVS,  
CRISPINVS, *discipuli.*

**L**VDIMAGISTER. Quas ob res, Nicolae, consueverunt à Magistris potestatem petere pueri? N. Ob duas potissimum. L. Scilicet. N. Ob exitum è schola, & absentiam à schola ad tempus. L. Qua propter solent exire è ludo? N. Vel vt corpus leuent, vel vt emanent aliquid necessarium. Item ob causam aliquam omnino fortuitam. L. Estne more Cynicorum Stoicorumve simplicibus propriis, apertissimis vtendum verbis, sine vlla præfatione honoris, cum loquimur de illis naturæ humanæ necessitatibus, quas iam cogitatione præcipis: an potius tectis, ac prætextatis; vt quod re inhonestum non est, modò occultè fiat, id verbo ne turpe obscœnumq; sit. N. Ita tu quidem nuper ex Cicerone nos eradiuisti. L. Velim petitiones aliquas iis verbis iteres, quibus à me accepistis. Agite pueri, auscultate atq; operam date, & quæ dicentur percipite.

*quæstio de facultatibus obli. 2.*

## DIALOGVS XLII.

*Cubitus discessuri.*

PAEDAGOGVS, LUCIOLVS, & AMAN-  
DVS pueri, PATER, MATER.

**P**AEDAGOGVS. Heus pueri, iam satis superque lusum est à cœna, quantum videlicet nunquam antehac. Dormitum censeo aliquando discedamus: quandoquidem istuc hora nos admonuit. L. Hora? numerastin, Amande, oëtauã? A. Ego verò numerasti, ac pridem. L. Cur tu reticebas? A. Quia iuabat ludendo tempus extrahere: & alienas partes atque munus arrogare mihi nolebam. L. Astutè. P. Amande. Amãde, quid verbi ego ex te audio? A. Habes caussas. P. Quæ isthac religio in te incessit? Tibi edico; in posterum pace mea arôges licet: & simul oëtauam pomeridianam audieris, mihi aurem vellas. A. Si ita vis. P. Nempe ita volo. L. Nec dum est cupido somni: ne prohibe nos, amabo, adhuc aliquantisper hac tam bella, & optata lusione contendere: paululo cõtenti erimus. P. Arcessit vos somnus: qui quã mox cubilia vestra ascenderitis, tam mox vtrũque complectetur: etenim puerorum est amantiſſimus. Estne aliter ac dixi? A. Haud aliter. P. Ite præ. L. Ecce imus. P. Ceterũ antequã in cubiculum

biculum nos abdamus, parentibus pro consuetudine dicenda est salus, porrigendâq; prius osculata manus dextera, poplitibus modicè curuatis: id quod boni liberalesque pueruli factitare consueuerunt, & ego vos sic institui. A. Adeamus igitur ad eos festinatò. Pater mi charissime, & tu mater suauissima bene valete in hâc noctem: nos ad quietem capeffendam proficiscimur. L. Saluus esto in crastinum pater: salua esto mater. P A T. Quid? sopor ocellos vestros obtegere properat? vtiâ quiescatis ambo tranquillissime vsq; in lucem. Veruntamen non vsq; adeò in multam lucem. Septem horæ vel pueris putantur sufficere. Nihilominus ego vobis octauam quoque, & aliquid etiam vltra indulerim. A. Istuc tibi est in manu, pater. M. Dominus, I E S V S vigilantes vos iuxta atq; somno cõspitos ab omni malo periculoque semper custodiat, filioli mei. P. Spero equidem hanc noctem euenturam nobis ex sententia.

## DIALOGVS XLIII.

*Sepe vestibus exuentes, preces ante somnum.*

PÆDOTRIBA, IUSTVS, FVLGENTIVS,  
DEMETRIVS

PÆDOTRIVA Quorsum vos cunctamini; detractò amictu vsque ad subuculam, suo se lecto quisque commendet. Auferte mo-

ras, ego actutum huc reuertar. Quod nisi cubantes inuenero, postea virgarum vibicibus exarati cubabitis. Prænucciaui cladem: prohibete à vobis vim meam, I. Nescio quomodo nodus geminus, & arctissimus in ista ligula coriacea mihi extitit: quæso adiuta me Fulgenti. F. quàm multis astrigentis, & quàm scitè hic subligar thoraci alligauit? D. Sic oportet, aut ego, aspici te vt laborem in abstrahendis caligis. I. Quare? D. Quia ex deambulatione cursuque hodierno pedes & crura affatim sudore immaduuerunt. I. Adiuuabo te. F. Mihi verò quis subibit auxilio I. In quo tandem? F. Vellem sanè alter vestrum purgaret calceos meos: oppidò latulenti sunt. I. Tute, vt reor, ad istam rem non malè aptus es & sufficis. Mihi quoque præter me nullus est seruus. F. Mânene gratiam refers? phuy, vt olidi sunt calcei tui linteï? I. Mirum ni balsamum spiritum, aut pastillos, aut staeten atque casiam oleâ gestauit duabus hebdomadibus. F. Certè quidè pro istis allium, hircum, suem olent. Dares lauandos. I. Darem vtique, si alios retulisset mulier quæ lauat. D. Oh, quid tu Fulgenti hoc tempore & loco de depluide tua puluerem excutis? oculos, aures, nares, faciem mihi complex. Fac modum. An nondum etiam? quin parcis, inquam mihi, parèchin pragmata? F. Vbi ergo, & quando excuterem? D. Foris. F. Non auisim foras ire sine thorace. D. Ad fenestram procederes saltem. F. Necibi honestum est in in-

dufio conspici à prætereuntibus. D. Par reponam, quod te mordeat. Quorsum tot fibulae? ad ornatum scilicet superuacaneum, atque ad dissipandas & disperdendas pecunias. F. Tua quid interest? I. Commutemus Demetricingulos. Eia annuito. D. Tàmne blanditur oculis tuis meum? I. Et quidem multò ante hunc diem. D. Quid diceret Præceptor? I. Nihil prorsus, ne ve reare. D. Qui periculum amat, etiam in re leui, nã ille haud mecum sentit. Verùm egò periselli des, seu fascias crurales tuas validius optauerim, quàm tu istanc zonam meam. I. Posterius hoc dicis quam credidi. At tu Fulgenti, in area tam alta, tam lōga, tam lata quid habes? F. Quid hoc autem ad te attinet? libros nonullos philosophicos D. Hui, philosophicos? F. Ita, philosophicos, quibus me vsurum spero, postquam æui florem contigero: aliquot indusia, femoralia bina, tibialium paria duo, interulam elegantiore opere contextam, pileum sericum, & quatuor tenuissima tela, pèrque angulos acupicta sudariola. Adhæc totidem collaria lineæ, striata ampliter, quibus nouo inuento collum circumdare mos increbuit: I. Malo ego collaria indusis continentia, plana, super oram vestis aliquantum proiecta, qualia sacerdotes literatique viri gestant. D. Quàm commodum & decens conopeum hoc, quo muscas & culices arceo? I. Beatus ter & amplius, si quid etiam ad ar-

cendos pulices . D. Obsecro, tu mihi armorū tuorum tegumentorumque paxillulum comoda, quibus te aduersus illorum insultus morsusque cōmunire soles atque defendere. F. Væ misero. Vt se isti impudentissimi sceleratissimi que sacrificatores meo sanguine hac nocte ingurgitabunt? integros alo exercitus, & sum stigmaticus toto corpore. D. En præterea lecticam spaciosam, per quā me volutare possum vt libet. En culcitam plumeam, non vti vestræ, lana inculcatam: puluinar longum, cervical molliissimum, toralia candidissima, stragulā vestem splendidā, ac principe dignam. I. Ideone arētius dormis quā nos? qui æstate, vt nūc, gausapinis tegimur satis: cortinas sericas, tuāsque exoticas delicias nihili pēdimus. Atat, Præceptor redit: sileamus, & in lectum pernuciter. P. Comprimit te linguas. Siccine hoc fieri? An istuc est colere vespertinum silentium? Cras pro his meritis cōdigno vos afficiam precio . Cur non occidisti valuas Iuste? I. Oblitus sum. P. Solennem præcationem edidistis? immò eam quoque, vt suspicor, oblitus estis. Vide quā parū religiosi sunt isti adolescentes: Sic somnum carpsissent, Dei que, sui que, mei que fūdītus immemores. Nōne hæc tua hebdomas est Demetri? D. Equidē est. P. Ergo age, dum vestimenta pono ad cubandum, interea loci piē pronuncia solitas preces, & singuli iunctas manus cælo attollite. D. *Omni potens pater, exuberantissima fons bonorum, qui noctur-*

nam requiem soporemque delinimentum ad salutem corporum hominibus tribuere dignatus es, tibi gratias agimus, cum nos hoc die clementia tua ab omni casu aduerso tutos prestuisti: iterumque rogamus, vt peccatoribus nobis per tormenta & mortem I E S V Christi Filij tui, quidquid hodie cogitatione, verbis & actione deliquimus, benignè ignoscas. Tuere nos ista nocte à quocumque corporis & animæ periculo. Esto excubitor noster, tu, qui nunquam dormitabis neque dormies: vt sane ac lati expergesiamus, & cum gratiarum actione die crastino atque in omni reliqua vita nostra imperijs atque præceptis tuis seruitutem hilarem totis viribus seruiamus. O Maria virgo, benedicta inuentrix gratiæ, mater salutis, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte, tuisque precibus commissorum veniam, iustitiàmque veram nobis impetra: vt cum supremus maximèque formidandus ille dies aduenit, digni habeamur, qui possimus stare ante iudicem viuorum ac mortuorum, Dominum nostrum Iesum Christum benedictum fructum ventris tui: cui cum Patre & Spiritu sancto honor, virtus & sortitudo in omnium sæculorum æternitates. Amen.

## DIALOGVS XLIIII.

*Esomne suscitati, precatio matutina.*

CALIXTVS, ADOLPHVS, HERRIGVS,  
SYMPERTVS.

CALIXTVS. Benedicat nos hodie  
Deus Pater à quo conditi, & Filius, cuius  
dira morte à sempiterna morte vindicati,

DIALOGVS XLIIII.

& Spiritus sanctus, per quem abluti & sanctificati sumus. Iam lucis orto sydere, &c. Surgite contubernales, surgite. Adolphe, Hérice, Symperthe. Ecquid audistis? expergiscimini. Tacete. Cernite, ut valuis reclusis clarissima se lux infundit. Surrecturine estis, an non? A. Quid tu (malum) nobis ista horribili vociferatione somnum abrumpis? quid gannis? quid vis? atra bilis te agitat? C. Surgendum est tibi, deserendus nidulus. Heus heus surge. A. Cessas hoc clamoris edere. Enimvero profecto non possum. C. Profecto potes. A. Conniui potius hac nocte quam dormiui: eamque plenam timoribus & miseris habui: plumbeum gero caput. C. Et cuiusnam erant illi rhonchi? A. Nullos sensi rhonchos, abiste hinc. C. Non igitur verum loqueris, te conniuisse: somno approbè irrigatus, summersusque iacuisti, si rhonchos, & quidem tantos minimè sensisti: ego sensi. Surge, non piger, sed ipsamet pigritia. A. Ah Calixte, nimis hoc quidem inhumaniter, & valde importunè: sine paxillum: sic tibi obtingant, quæcunque exoptas bona. C. Littori loqueris. Hérice, corripe e strato corpus. H. Quota est hora? C. Quinta. H. Erratis vterque, tu & horologium. Adhuc nox atra caua circumuolat umbra. C. Scilicet in oculis tuis. Faxo mox adducatur faber, qui forcipibus illos tibi aperiat. Excute noctem dormitator. Quin surgis? H. Otundis: iam primum versavi me in alterum  
latus,

latus. C. O Christe, etiam hic stertere vult in  
 meridiem. In eodem ludo videntur docti ad  
 somnolentiam. Sed est vocis sat. Symperte sur  
 ge. S. Dictum ac factum, surgo. C. Te laudo,  
 haud somniculosus es. Vos nisi è vestigio sur  
 rexeritis, renuntiabo magistro, vt vapuletis  
 pro ientaculo. A. Quod tibi Deus Opt. Max.  
 pro tuo prandio largiatur. Facebant minæ. C.  
 Vt oscitant? vt brachia tanquam in cruce suffi  
 gendi distorquent? vt capita scalpūt? vt oculos  
 fricant? quasi vespertiliones lucem indignan  
 tur. H. Nonne hic dies est festus? S. Cur tu istuc  
 quæris? H. Quia de more ad sextam liceret som  
 no recreari. S. Negotiosus, seu profestus est. nō  
 festus. Sed conticescite, dum solitam precatio  
 nem expedio: attendite, animosque vestros vna  
 mecum ad Deum transferte. A. Hoc agimus.  
 S. A Eterne mundi opifex tibi gratias, quantas nostræ  
 mentes capiunt, cum nos hac transacta nocte viuos, in  
 columes, & omnis macula puos atque integros tua mise  
 ricordia conseruasti. Oramus te per bonitatem tuam, cum  
 ista luce, cuius primordium videmus, veræ Catholicæq; fi  
 dei lucem, emendationem vitæ nostræ, securitatem men  
 tis, & diuinæ consolationis tuæ lætitiā nobis hodie, &  
 quoadvixerimus cōcedas. Tibi corpora tibi animas nostras,  
 introitum & exitum, vitam atque obitum, omnia deniq;  
 nostra commendamus ac tradimus. Miserere nostri Do  
 mino, miserere nostri. Sancta Maria, in tuam custo  
 dianā & clientelam nos recipe. Ora pro nobis peccatori  
 bus amen.

## DIALOGVS XLIV.

*Vestientes se, & reliqua per agentes.*

I I D E M.

**C**ALIXLVS Adolphe. A. Hem, quid est? C. Veni huc sis. A. Quid hic homo vult? C. quid ais? A. qua de re? C. Cur pigette magis attrahere sursum caligas, thoraciq; astringentis istis, quae plurima dependent subligare; ut pulchrè, sine plicis atque rugis adhæreant pedibus vndique, uti meas vides adhærerere? Nam hoc negligere, quid est aliud, quam sequem & desidiosum velle argui? A. Novimus te, philocalon, & mundiorum ipsa munditia. Porro meas ille indoctus sartor nimium laxas, nimium longas fecit: nihil attrahendo proficio. S. Tunc fregisti hanc matulam Henrice? H. Apage cum ista in simulatione: nuces, iuglandes, castaneas, amygdalas fregi multas: hoc scio. A. Quis autem pectinem meum sublegit? C. Ne clama, hem illum tibi. Ego ante usus sum, quam tu experrectus es, quia meum nescio vbi deposuerim. S. In riscio viedebam heri. C. Visam. Rē elocutus es, hic est Pecte igitur caput Adolphe. Primum, uti suadent medici, radiis rarioribus: tum denioribus, & à brechmate in occiput

rursum

*Adolphe vult*

rursumque ab occipite in sinciput ducito : sic enim pori aperiuntur, & exhalationibus caput leuatur. A. Obtempero, ac vellem hanc me citius medicinam docuisses. Da inductorium, calcei sunt angusti & breues. S. Vt stridet sponda mea? vt item crepidæ meæ, & hoc quod calco catapetasma scirpeum. C. Pedes leuicæ tuæ, Adolphe, quam carioli sunt? A. Non minus tuæ, si aspicias. Et, si scruteris, forsitan musculos aliquot inuenies, quos tibi culcita tua stramentitia progenuerit. C. Sentirem, si quid esset vernularum istorum domi meæ procreatum. H. Globulos thōraci assutos vnuquemque oculo suo facindas, Adolphe: ne vt ventrioli & abdomina, eo infra aperto, sub interiore tunica ventriculum tuum spectandum ingeras. A. Euge, calceolos tuos nitidissimos vinculis suis obliga, ne laxi in pede hæreant. C. Hic tapes de pariete cadet, tot passim abiunctis anfulis, quibus ad vinculos suspendebatur. Symperte, providebis vt commodius pendeat. S. Providebo. Quò pedem Adolphe? A. Etiã tu interrogas; deorsum ad abluendam frigida & faciem, & manus. Caterum guttus, & pollubrum, vt scitis, immunda sunt. Demus ancillæ teruncios aliquot, vt permundet: interim ad salientem lauemus in atrio. C. Continuo te sequemur. Tolle tecum lintea, quibus nos extergimus postquam lauimus. S. Tu Henrice, vt aspersus es atramento? vt digitos habes sordidatos; calida opus sit tibi, non frigida,

pleuero, non erit, opinor, cur fleas, quia nihil tibi fecero. De tabella loquebamur. P. De qua tabella? C. Quæ introrsus ad cubiculi ianuam appensa cernitur, morumque cubicularium præcepta continet, quæ tu annum ab hinc nobis dedisti. Aiebam igitur ea hodie de more legenda publicè. Victor à me dissentire, quod mensis nondum totus præteriisset. T. Immo, ut sis sciens Victor, hesternus dies Maium clausit, & hodie Kalendas Iunias egimus. An ita est? A. Ita est. P. Custodiatur ergo mos, & ne ante quieti tradantur corpora, quàm leges recitentur. Aduertite aures, & in quam qualve hætenus quisque commisit, in eas ne committat de cætero, magnopere caueat. Quis leget? T. Ego legam si mandas. P. Age, hanc cistam conscende, & voce elata, intelligenter, ac distinctè.

T. A cubiculo omnes profana, impudica, stultæ imagines absunto: earum loco sacras, pudicas, hominum qui in laude vixerunt, quosq; in cælum merita vocauerunt reponunto. P. Decet animū accipere formas rerū honestissimas, de quibus tum cogitet, quas somniet, & in quibus corpus iucunde obdormiscat. Quare autem prima, quæ nascēte, & vltima, quæ occidente die cõtuemur, honesta ac pia nō sint? & cur nō potius mentem ad virtutis amorem, ad Deum, & cœlestia erigant, quam sua deformi, abiecta, & ridicula specie ad res humiles, sordidas, turpes, ac leues rapiāt? C. Victor ad caput lecticæ suæ affixiti imaginem

## DIALOGVS XLV.

gida, & pondo smigmatiſ. H. Eò diligentius la-  
uabo. S. Frica item cilia, & palpebras, ſunt ibi  
ſordes: nec minus auriculas: & gargariza biſ ter,  
quod ad fauces collumque purgandum valet. H.  
Doctum ne doceas. C. Eamus, ego obſerabo cu-  
biculum. S. Clauim autem in porta relinque vt  
nuper: vnde cleptarum irrepens quiſpiam, cum  
attulerit ſteriles manus, grauidas exportet fo-  
ras iterumque mihi ſcabellum auferat, & puluil-  
los deinde: ac niſi grauis ſit nimium, grabatum  
cum ipſo lecto & toralibus. C. Nullus eſt hoc  
meticuloſus æquè. S. Si ſpondeſ te damnum pre-  
ſtaturum, non metuam. C. Spondeat Henricus,  
mihi non eſt otium. H. Ain, vero? C. Certè in-  
quam.

## DIALOGVS XLV.

*Mores in cubiculo, in lecto.*

P AEDONOMVS, VICTOR, CYRIACVS,  
THEODORVS, ALII.

**P**AEDONOMVS. Quoſdam in angu-  
lo collatis capiti. cõſuſurrantes intueor.  
Victor Victor, quid nugarum? V. nihil.  
P. Hic puer quotieſcunque interroga-  
tur, quid faciat, aut quid fabulatus ſit, hoc ſo-  
lum reſpondet, nihil. Si tandem contrã verbe-  
ribus te obſeuerò, aut colaphis caput tuum im-  
pleue

ginem Bacchi, coloribus variatam. Insidet a se-  
 lo, gestat vexillum, in quo sunt farcimina, po-  
 cula, placentæ, pulli gallinacei, & vasculum vina-  
 rium. Stipant illum cum venter collatio satellites,  
 coronati pampinis (vt ipsemet Liber) bo-  
 tris in orbem dependentibus. P. Hem, quæ hæc  
 est fabula? C. Ecce tibi portentum. P. Leuicule  
 per quid tibi voluisti cum hac monstruosi-  
 ma cæsie? Placet hoc tibi? istæ sunt cogitatio-  
 nes tuæ cum surgis, cum te lecto credis? hæc ci-  
 ne somnia? visne tu comes Bacchi, an Musarum  
 fieri? Ego te pro istis factis viciscar probè. V.  
 Quia pulchra & iocosa est, ideo affixi: & dede-  
 rat mihi frater meus. P. Non inuenisses alium  
 locum vbi affigeres? V. Hic tutissimus videba-  
 tur. P. Extemplò refuge, & in conspectu omnium  
 conscinde. Malam rem non effugies, si posthac  
 quidquam simile: nec tu, nec reliqui omnes.

T. Clamorem & colloquia penitus vitant:  
 si quid dicere necessum fuerit, summissa voces  
 & paucis transigunt: silentium sanctè obser-  
 uant.

Seu cum surgunt, seseque, amiciunt, seu cum  
 stratis se commissuri vestimenta exuunt, vere-  
 cundia rationem maximam ducunt. Corpus  
 quoad licebit opertum semper habent. P. Fla-  
 gitij principium est nudare inter ciues corpora  
 inquit apud Ciceronem Ennius. Nec mulier  
 modo cum veste verecundiam exiit, vt inquit  
 Herodotus, verum etiam adolescens, vt ego affi-  
 rma

firmare non dubito. T. Ad vicini lectum ne accedunto, nè ve per cubicula cœtus celebranto.

Scopulas vestiarias, seu verricula setacea in cubiculo appendunto, illisque ad purgandas vestes crebrius vtuntor.

Fenestras vbi sudum erit aperiũto: aërem inclusum & densatum rarefcere, & puriorem fieri permittunto.

Antequam decumbant, & manè cum surgũt, in frontem & pectus salutiferam S. Crucis notã exprimunto: preces præscriptas adiungũto. P. Facitisne hæc, pueri? A. Facimus. P. Benuncias. Si falsitatis vos comperero, pessimo loco sita erit res vestra: pœnas quam atrocissimas à vobis repositã. I. Cum surrexerint, aluum deiũciunto, lectum componunto, caput pectunto, manus & faciem lauanto, os probè eluunto.

Aqualicunque cuiusque generis sorditidine sese liberos præstanto. F. Apud quemcunq; inuentus fuerit vnus pediculus, ille Tribunus pedicularis renuntiabitur, & curabit, ne quid alij eiusmodi morbo laborent.

T. Lintea lecticaria, indusia, strophiola die præstituto ad lauandum danto. P. Hactenus quæ extra lectum seruanda sunt: nunc quæ in ipso lecto.

T. Lectum vbi occupauerint, verbũ ne edunto. Sine intima tunica somnum nunquam, nusquam incunto.

DIALOGVS XLVI.

Ne corpus huc illuc iactantò, nèue malè coo-  
perti iacento.

Nèue proni, nèue supini, sed in latus dexte-  
rum cubantò, brachiis ita transuersim compo-  
sitis, vt dextra manus sinistro, læua dextro hume-  
ro admoueat, similitudoque crucis exprima-  
tur. P. Hic mos admodum pius est, & laudabilis,  
traditus etiam ab iis, qui de formandis adole-  
scētum moribus scripserunt. *dominus san. 2*

T. Si necessitate flagitante cum sodali cubue-  
rint aliquando, quieti suntò, stragula ad sene at-  
trahuntò.

Arhonchis abstinere se assuescuntò. P. Nimi-  
ram, quod per se patet, vt dormire detur ceter-  
is. Si solus fueris, da fræna rhonchis. Quanquã  
ita pacatè, ac sine sonitu corpus somno reficere,  
vt id nemo sentiat, est commendatione dignum

T. In singulos menses hasce leges recitando  
iterantò.

DIALOGVS XLVI.

*Saluatio matutina, ientaculum.*

PAEDAGOGVS, CALLISTVLVS, & HYA-  
CINTHV S pueri, PATER, MA-  
TER, COQVA.

PAEDAGOGVS. O. Callistule, ita re-  
tardus in induendis caligulis tuis? C. Præ-  
ceptor, dum festino, conuersa est futura in la-  
tus

tus tibiæ: iamque nec progredi possunt trahendo, nec regredi: vsque adeo fixè adhærescunt. P. Sine, ego à pede detractas, denuo inducam. Induxi, bene habet. Porrige calceolos Hyacinthe. H. Apertòsne, an cum obstragulo? P. Apertos, cum zonula. Nunc thoracem simplicum cape. Tu, Hyacinthe, ligulis astringe thoraci calligas fraterculi: fac nodos laxos, non angustos. H. Prò, istæ ligulæ sunt exarmatæ propemodum omnes. P. Ementur nouæ: nunc vt potes. Pecto modo capillum Callistule: hem tibi pectinem. C. Hoi hei. P. Quid est quod sic clamas? C. Crines nimium sunt conuoluti & implicati: dolorem mihi facio dum pecto. P. Radiis maioribus vtere. Citò faciem manusque abluite. H. Factum. P. Descendamus in hypocastum (Vbi intrauerimus, salutabitis parètes & sorores paruas, iis verbis & gestibus, quibus à me edocti estis. C. Salae pater optime. H. Tu quoque mater amantissima salueto. C. Salutem vobis precamur sororculæ nostræ dulcissimæ. P. A. Deus fortunet nobis omnibus hunc diem, mihiq; coniugique meæ seruasit communes liberos. M. Placidone somno defuncti estis? H. Placido. C. Ego haud quaquam, ó mater: sapius enim euigilaui. M. Miseram me, quod verbum audio? euigilasti? accede ad me propius. Quare euigilasti, mi Callistule. C? Caput dolebam, & etiamnum dolor manet. M. Multúsne? C. Aliquantus. M. Vnde hic dolor? de vento?

## DIALOGVS XLVII.

at in cubiculo nulli venti. De frigore? at æstate noua, vt nunc, frigus vrit neminem. C. Quod suspicor, inde, quia me heri tecum cœna abstinere voluisti. M. ò factum malè. heus Euphrosyna. E. Quid me vult domina? M. Ambobus ofsam coque. Quàm citissimè poterit, tam hoc cedere ad factum cupio, E. è quo? M. è vino. Immisce crocum, & puluisculum nucis aromaticæ quantum iudicabis immiscendum: turundis verò panis similacei patinam imple, quibus ius feruens superfundes. E. Teneo. Nunquid aliud? M. aliud? etiam, da vtrique nihilominus collyram suam. E. Curabitur. M. At maturè. E. Intellego. Sed nunquid adhuc imperas? M. Nihil. P A E. Intereatantis per cum libellis colloquimini, dum ientaculum inferatur. H. Licet.

## DIALOGVS XLVII.

*Oculorum moderatio, & affectiones.*

PATER, FILIVS

**P**ATER. Quid causæ fili, quod tu iam extabescente die vespertinus domum repetis? hoc mihi quæsitum velim expedias. F. Paucis dabo quam obrem. Didascalus nos vltra tempus consuetum in gymnasio retinuit. P. Retinuit? quid ais? F. quod res est. P. miratur animus meus. Non incidisti dum red-  
dis

dis in nugiuendum aliquem ( celebrantur enim  
 nundinæ iam ) aut in iurgiis sese lacescentes, aut  
 in aliquid demum ineptiarum huiusmodi ? Ibi  
 si fortè substitisses , vt puerorum natura est , &  
 oculis auribusque morigeratus esses. F. Perpe-  
 tuauit ambulationem è schola vsque in ædes no-  
 stras. P. Quare tandem præter consuetudinem  
 vos detinuit ? F. Præcepta quædam morum ciui-  
 lium recentissimè tradita à nobis repositit.  
 P. Quæ ? F. De oculis regendis , siue de aspectu  
 formando. P. Examinauit te ? F. me quidem nō,  
 sed alios. P. Quid si, quoniam vacuus nunc sum  
 ad audiendum , ego præstem me hypodidasca-  
 lum, siue vicarium, ne tu nō interrogatus abeas ?  
 F. ne ad respondendum comparatus ? F. Sum. P.  
 Quales concedet esse oculos. F. Cum imago ani-  
 mi, & tacitus quidam sermo statuatur vultus, &  
 indices eiusdem atque interpretes sint oculi,  
 per quos ille rectè affectus, sedatus ac bene com-  
 positus, aut motione aliqua turbulenta agitur  
 apparet, quales in vtramque partem haberi vo-  
 lumus , tales ipso aspectu gerere nos debemus.  
 P. Quoniam modo ? F. Torua lumina, acriterque  
 intuentia iracundiam indicāt. Eorum est etiam  
 toruis oculis aspicere, quos obtinet atque ince-  
 sit mala suspicio, quique insidias, fraudes, dolos  
 machinantur. P. Si nunc toruote lumine obi-  
 rem, putarè siue vehementer succensere me ti-  
 bi, eiecissè que animum erga te patris ? F. haud  
 quaquam. P. Est ergò ad tempus quædam tor-

veritas simulata. F. quis hoc neget? P. Dic quæ  
 deinceps dicenda. F. Ne sint immobiles, incon-  
 niuentes, affixique penitus ei rei in quam in-  
 tuentur: ne volubiles admodum atque lubrici:  
 ne nimium aperti, immoderatèque diducti Pri-  
 mum illud attonitis, alterum insanis ac furenti-  
 bus, tertium stolidis relinquendum affirmabat.  
 P. Bene hæc illi distributa sunt, & verum, atque  
 ita uti res est, dixit. F. Palpebris subinde conni-  
 uentes oculi inconstantem, innuentes, loquaces  
 ac ludibundi mentem parum pudicam arguunt.  
 Qui alterutro lumine clauso, instrar luscorum  
 aspiciunt, ad scopum arcubus iaculantes, & fa-  
 bros amussi, seu rubrica trabes dimetientes imi-  
 tari videntur. P. Pulchra, & viris quoque, ne-  
 dum adolescentulis tradenda morum instituta.  
 F. Monuit insuper, ne intentis in eorum faciem  
 oculis fixi hæreremus, nève in eisdem identi-  
 dem coniceremus, quibuscum sermonem  
 copularemus: potissimum si viri graues, & ho-  
 norati essent: imprimisque si feminae, & puel-  
 læ ore floridulo nitentes, ut ille ait. Hoc inde-  
 corum, impudens, libidinosum existimari: nec  
 difficile illud consequi posse quod ait Terent.  
 captus est, habet. Proferebat item hoc ex poeta  
 quodam antiquo: Si nescis, oculi sunt in amore  
 duces: & aliud ex Propheta. Oculus meus de-  
 prædatus est animam meam. P. Compertissi-  
 ma locutus est. Nam si David Rex in Viræ co-  
 iugem aspectu non incidisset, non eam concu-  
 pisset.

pisset: si non concupisset, non cum ea corpus cō-  
 miscuisset: non maritum morti obiecisset, non  
 inquam, duobus se nefandis sceleribus deuin-  
 xisset. F. Ne etiam semiclausis oculis, nisi neces-  
 sitas aliquādo exigeret quidpiam aspiceremus.  
 P. Prudenter. De supercilijs nihil? F. immò ali-  
 quid. P. Nempe F. Supercilijs nos negare &  
 annuere: his declarari fastum & arrogantiam.  
 Proinde iactari prouerbium: attollere superci-  
 lium, cū hoc vitium significatur: contrarium  
 esse, ponere supercilium. Ne attolleremus igi-  
 tur: ne in oculos deprimeremus: ne contrahere-  
 mus: in quas sese consuetudines vitiosissimas,  
 subnixè ambulantes ac superbi, improba machi-  
 nantes ac fastidiosi, aliena aspernantes & con-  
 temnentes adduxerunt. P. Quoniam idem ille  
 vir latinam linguam vos docet assiduò, num  
 aliud disseruit, quod ad oculos pertineret; F.  
 Quasdam eorum affectiones naturales expo-  
 suit, vnde quidam nuncuparentur lusciosi, seu  
 luscitiosi, qui propter caligantes oculos aut rem  
 ipsis, aut ipsos rei intuentæ propius adinouere  
 cogentur. Strabones seu strabi, qui essent ocu-  
 lis distortis siue detortis. Ocellæ siue lucini,  
 quorum essent minuti paruique oculi, siue  
 ocelli potius. Pæti, qui venuste, ac leuiter  
 obliquatos seu declinatos haberent. P. Vt  
 tu videlicet, F. Ita pater. Exophthalmi, qui-  
 bus multum prominere: qui proinde lumini-  
 bus facilius caperentur. Cœlophthalmi, quibus

multum recederent, seu profundiores, & conditi essent. Cœsij, quasi cœlij, quibus cœrulei Lippi, quibus humorem exsudarent, semperque plorarent, vt potatoribus. Item oculorum angulos appellari hirquos: esse in ijs albumen siue albuginem, pupillam seu pupulam, & alia nonnulla, quæ melius nominare didicissent, qui tractarent artem medicam. Pelliculam qua operirentur dici palpebram, ex cuius crepidine pilos enascentes nomen habere cilia. Intercilium dici spatium inter supercilia, vbi nasus inciperet. Conspicilia siue specilla esse illa vitra coriaceis, osseis, æneis, argenteisve circulis inserta, quibus propter hebetatam oculorum aciem senecta ætate homines maxime vterentur. Postremò scriptoribus, oculos appellari noctuinos, herbeos, lynceos, aquilinos. Emissitios Plautum vocare, qui huc illuc curiosè vagarentur. Nictare esse crebrò conuiuere, inde nictus. Ac plerisque vt id facere non cessent naturale esse, eosque videri pauidiores. P. Ob diligentiam, cuius egregium specimen dedisti in præsens (ita mihi superstes sis) emam tibi quæ vis? F. Nihil aliud nisi libros volo. P. Da igitur mihi scriptum catalogum. F. Dabo cras. P. Atque audin, etiam? F. Ecce. P. Eos nomina, qui apud Bibliopolam hunc nostram inueniri poterunt: Nam Parisios, aut Lugdunum, aut Antuerpiam emptum libros mittere, non est voluntas nunc quidem F. Ne tibi istuc sollicitudini sit, mi pater. Non ta-

men exiguè sumptum præbebis, sed te mihi largam dabis. P. largissimum.

## DIALOGVS XLVIII.

*Frons, nares, caput.*

LILIVS, EVTROPIVS:

**L**ILIVS. In mœstitia te esse coniecto, quasi dies si dicta sit. E. vnde? amabo. L. Ex fronte, ex oculis, ex toto vultu. Illa rugis consulcata, isti deiecti, hic inaurata statua pallidior. Explica, explana, exporrige frontem, sustolle oculos, & pallorem istum cum rugis vltimæ decrepitæque senectuti referua. Hominem ingenio liberali cuius cor nullius maleficij conscientia sollicitat, frons serenata, minimè que contracta imprimis cohonestat: torua autem bobus & tauris relinquenda, quibus propter præcipuam frontis asperitatem toruorum epitheton semper adiungunt poëtae, vt item agrestibus & crudelibus. De Polyphemus in 3. cothurnatus ille Maro.

*& celo lumen terebrans acuto.*

*Ingens quod torua solum sub fronte latebat.*

Scribit præterea Festus, à taurorum ferocitate toruitatem appellatam. Quamobrem torui tauri, & toruæ frontes, taurarum frontes sunt.

E. Non videmus mantica quod intergo est: Sic enim comparata est hominum natura omnium, aliena melius vt videant, & iudicent quã sua. Dum tu frontem meam obductam & caperatam reprehendis, ego, si cares, muccinum tibi commodare meditor, quo nares mucoris & pituitæ plenas emungeres. Vereor quippe, ne id pallio facias, & cubito deinde resimum nasum tuum, quem toties corrugare, seu crispare soles in alios, abstergas. Aut si manu te emunxeris, purulentia illa vestem calceumque incrustes. L. tuum tibi retine. Hem, auersus abs te paululum, tanquam ab insigni viro, vt consueui si quando linteolum aut amisi, aut per obliuionem reliqui, duobus digitis me emungam, spurcitiemque pede statim proteram. Non adeo rusticum hoc dices. E. Tamen digitos aliquo extergere necesse habes. Verum aspice solem: fortè sternutabis purgabisque cerebrum. L. pfi pfi, E. Seruet te Deus. L. pfi, E. adhuc? quot peccata? debuisti te aliquantum in latus conuere, ne ita rusticè mihi vestem faciemque conspueres. Cur etiam non signasti os à sternutatione? L. quo signo? E. ò Christianum. Quo signo? ego arcanò dicam tibi. In quo Cōstantinus vicit Maxentiū tyrannū. Iamne intelligis? sanctę crucis. L. Nūc demū intelligo. Nimis religiosus es. E. Cur mihi bene precāti nō agebas gratias? quin etiã vt si esses annis obsitus, & ego quaerimulus tu homo veteris prosapię multarūq; imaginum  
ego

ego patrem meum nominare non possem, caput aperiebam. L. Restantne plura? E. plura. Vocem siue sonum cum sternutares ita intēdebas, vt hunc murum fermè ruperis. Hoc non oportet: vti nec cohibere adeo ac reprimere impetū, quem natura affert, si sanitati consultum velimus. L. In quo te nasus meus prætereā offendit? E. Eurum aut Fauonium aliquem videris intus alere, ita spiras per nares. Sibilas item, vt arguta ilex: & quod rusticissimum, rhonchos trahis vigilans. Peccabas in super aliud. L. scilicet. E. In strophium inspiciebas cum nasum emūxisses. Timebas credo, ne è tuo illo præclaro cerebro smaragdum, sapphirumve elicuisses. Quis te his moribus tam impolitis expoliuit? aut vbi denuo instituuntur, qui sic instituuntur? L. Tuum verò sacrosanctum diuinumque caput quando est pexum? plumas paruulas video de puluino. Quàm mundum? Quot trieterides abierunt cum lauasti? aut quibustandem. Coll. Fortè vermiculorum quoque gregem pacis, quos pediculos vocant: etenim non frustra illud scabis toties, prurit utique. Quid quod frequenter, vt equus, concusso capite capillum in frontem propendentem discutis? Accersere nos etiam tonsores quatuor oportet, qui humeros iam attingentem, & densissimum tondeant. E. pecto quotidie, nisi obliuiscar, lauo (si te fortè hoc delectat) quoties aut lustrum conditur, aut acta est olympias: quoniam audiui (quod nec tibi

DIALOGVS XLIX.

tibi reor inauditum) manus lauandas sæpe, pedes rarò, caput nunquam. L. Seruent ipsi hoc, & illoti sordescant quantum libet. E. pruritù creat mihi nò lendes, sed furfures. At enim ab eo hinc ne forsitan ab istis ad alia maiora mutuò, & cum conuitio obijcienda veniamus, oriaturque latù ex vna scintilla incendium. E. Ita factò opus est. L. Nunquid vis? E. Rectè.

DIALOGVS XLIX.

*Mala, os, labra, dentes, vultus.*

GENESIUS, LEONTIVS, PARMENIVS.

**G**ENESIUS. Purpurissimum, cerusam, stibium, quibus mulierculæ ad deformitatem tegendam, & ad pulchritudinis laudem aucupandam genas & supercilia pingere, fucarèque interdum solent, ecquid vllò modo adolefcenti probò ingenuòque adhibenda putatis? L. Dicam quod Parmenius quoque approbet. Non adhibebit, nisi fœminam se quam marem natum esse malit. P. Mihi iam lanugo malas vestit, hunc fucum optabilem iudico. Quin ne mulieres quidè paulo grauiores istis pigmentis vnguentisque vtuntur. Ac tum bene olet fœmina, ait Cicero, ni fallor cum nihil olet. G. Tenebam duo dicta ad argu-

mentum vestrum peridonea, quæ animo exciderunt: alterum Pythiadis filia Aristotelis: alterum Catonis Censorij. L. Pythiadis hoc fuit. Interrogata quis color esset pulcherrimus, respondit, qui in adolescentibus ingenuis ex pudore nasceretur. P. Occurrit mihi Catonis Dicebat sibi magis placere iuuenes, qui erubescerent quam qui palleferent: quod rubor notaret probam indolem, pallor non item, G. Mihi verò tertium in mentem venit, duobus his minimè alienum. Diogenis Cynici. Is adolescenti cuidam erubescenti, atque ob id perturbato: bono animo esto, inquit, fili, istiusmodi est virtutis color. Videtis iam quemadmodum isti malas iuueniles colorari velint: natio scilicet ac liberali colore, quem pudor & verecundia, quæ sunt propria huius ætatis ornamenta, generare consueverunt. Eum nisi fœminæ quoque habuerint, in ipsa forma tum naturali, tum commentitia sunt deformissimæ. P. Os quo pacto rectè componitur? G. Si labra leniter sese contingant, neque constringantur, neque hiatu difsiungantur, ne dentes appareant, vtrumque turpitudine non vacat. Nec decorum est rostellum formare, vt qui poppysmum edunt. Sunt qui per diem os aliquoties eluunt. Scire licet hoc à magistris morum vituperari. Manè autem si id fiat pura & frigida, quia salutare est, laudatur. Cum oscitamus, & corpus auertere à præsentibus non possumus, linteolo aut vola os

cruce

cruce signatum obtegere iubemur. L. De labris displicet sanè, quod interdum in te Parmeni obseruo. P. Quid obseruas? L. Supernis dentibus mordes inferius, & infernis superius. Vtrūque faciunt qui excandescunt, quique minatur. Quid quod etiam lingua eiecta circumlambis nonnunquam labia? hoc (sit venia dicto) feles & canes solent, vbi quippiam comederunt. P. Per imprudentiam factum est, si factum est. L. Non sunt etiam porrigenda labra, nec adducenda. Nec edendus ore strepitus aut sibilus, aliudve signum cum vel admiramur, vel ludibrio quippiam habemus. G. Dentes tui, Parmeni, sunt nigri. P. Sunt certè. At qua ratione albos reddā? G. puluisculum ex pharmacopolijs audio puellas petere. Quod mihi cum vanū, tum delirum videtur esse, vt dicā cū Lucretio. At tu has noli imitari: nec sale aut alumine in hāc rem vtere, quoniam gingiuarum læduntur, alium modum quaere. Aspexi etiam te ad illos purgādos cuitello vti: hoc perniciosum credas. Audiendus hic nobis Martialis de dentiscalpio. P. Quid is? G.

*Lentissimum melitis: sed si tibi frondea cuspis.*

*Desuerit, dentes penna lenare potest.*

Nec vnguibus, nec mantili adhibito extrahere cinile est, si quid inhaesit. L. De vultu adde vnū verbum. G. ne sit tristis, asper, tetricus, sed hilaris, placidus, iucundus quantum naturæ nostrae imperare poterimus: nam ab animo vultus fingitur. Ita tamen latus vt habitus oris honestus.

retineatur. Nec saepe commutetur, quo nos inconstantia suspicione exsoluamus. L. Tu nobis hodie Præceptor quidam fuisti, oratio tua egregiè nobis probatur.

## DIALOGVS L.

*Cervix, humeri, brachia, manus, ungues,  
auricula.*

MAGISTER, PETRONIVS, SV-  
PITIVS discipuli.

MAGISTER. O Petroni Petroni, quam contumax puer es? Sapicule te docui, ne antrorsum cervicè inflecteres, nève resupinares, nève in dextrum nève in sinistrum latus inclinares, sed molliter erectam sustineres. Tu nihilominus in his omnibus offendere non dubitas. Si necessitudo aliqua postulet, non interdixerim, quin eam in utraque partem, atque etiam antrorsum retrorsumque intorqueas. P. Consuetudo hoc facit: consuetudinis magna est vis. M. Si ego è diverso in consuetudinem venero te pro istis solæcis assiduò pulsandi, non facile abraham ab hac consuetudine. Sumne planiloquus? paucisne rem ipsam attigi? scapulas quoque, ut si te pedes morderent, crebrius agitas, & adducis.

ducis. Tu Sulpiti, cur ita fœdè communes hu-  
 meros? tene quietos & æquales, ne, tanquam in-  
 trutinam eos imposueris, nunc istum attollas,  
 nunc alterum demittas. Nisi vitium emendas,  
 emendaberis. Ex more tandem fit ob diurni-  
 tatem natura: & quas illa corpori prauitates ac  
 distortionem non dedit, eas consuetudo pessima  
 conciliat. Dum fingi ac flecti potestis, fingam &  
 flectam vos. S. non aliud habeo dicere ad excu-  
 sandum, quam quod dixit Petronius: non fit vo-  
 luntate & consilio: sed mera assuetudine, & per  
 imprudentiam. M. Itaque non aliud vicissim tibi,  
 quàm illi responderim. Quod verò nunc an-  
 satus incedis: nunc brachia in tergum reijcis, no-  
 stin quos referas? S. quos? P. In illo ostentatores  
 in hoc fures, qui manus ponè reuincti, ad furcã  
 educantur. Portares ante pectus. hem pigritiã.  
 Credisne etiam decere manus inter se fricare?  
 S. Egone istuc? M. Vno die vel centies. Easde  
 pectinatim inter se complicare tristitiã indi-  
 cium est. Quò autem illæ proferentur, eodem  
 oculos sese intendere conuenit. Pro scelus, quã  
 longi, quam lutulenti vngues: opportunè cultel-  
 lus calamarius in manu est: iam præsecabo vo-  
 bis istos pulchellos vnguiculos tam leniter qui-  
 dem, vt præ dolore clamorem ingeminetis. S.  
 A Præceptor, da veniam, ipsi præsecabimus do-  
 mi. P. Ego præmordere soleo. M. honestius  
 præsecantur: quamquam diligentes attentique  
 studiosi nõ aduertentes id faciunt quod tu. Vn-  
 de

S. non aliud habeo dicere ad excu-  
 sandum, quam quod dixit Petronius: non fit vo-  
 luntate & consilio: sed mera assuetudine, & per  
 imprudentiam. M. Itaque non aliud vicissim tibi,  
 quàm illi responderim. Quod verò nunc an-  
 satus incedis: nunc brachia in tergum reijcis, no-  
 stin quos referas? S. quos? P. In illo ostentatores  
 in hoc fures, qui manus ponè reuincti, ad furcã  
 educantur. Portares ante pectus. hem pigritiã.  
 Credisne etiam decere manus inter se fricare?  
 S. Egone istuc? M. Vno die vel centies. Easde  
 pectinatim inter se complicare tristitiã indi-  
 cium est. Quò autem illæ proferentur, eodem  
 oculos sese intendere conuenit. Pro scelus, quã  
 longi, quam lutulenti vngues: opportunè cultel-  
 lus calamarius in manu est: iam præsecabo vo-  
 bis istos pulchellos vnguiculos tam leniter qui-  
 dem, vt præ dolore clamorem ingeminetis. S.  
 A Præceptor, da veniam, ipsi præsecabimus do-  
 mi. P. Ego præmordere soleo. M. honestius  
 præsecantur: quamquam diligentes attentique  
 studiosi nõ aduertentes id faciunt quod tu. Vn-  
 de

de si quid cum cura & diligentia scriptum indicare volumus, demorsos vngues sapere dicimus. Atat, etiam auriculæ sordibus onustæ sunt. O immundos. Purgate quam primum, aut in ludum ne redite. P. Purgabimus. M. Sed est insuper paucis quod vos monitos voluerim. S. quid nam istuc est? M. In operiendis partibus, quas natura contexit atque abdidit, videte dum necessitati paretis, vt id quam occultissimè faciatis ne quid indecorè ac parum modestè, quamuis neminem visurum sciatis. Honestas enim etiam sine teste diligenda & custodienda est. Hoc moneo, quod negligentes vos hac in re deprehenderim P. & S. ad hunc lapidem deinceps non offendemus.

## DIALOGVS II.

*Spuere, tussire, eructare, scire, oscitare, vomere.*

PRUDENTIVS, STANISLAVS,  
ROBERTVS.

**P**RV DENTIVS. Non fœminis dumtaxat, sed adolescentibus quoq; vitio vendendum audiui à Magistro, crebrius expuere. Qui mihi (vt est homo in scriptis veterum diu multumque volutatus) è Xenophonte referebat: apud Persas sæpius spuere, nares emungere, eructare fuisse vituperationi

obnoxia . Et quia hac perraro facerent fuisse rem ipsam testimonium , moderati eorum vltus , laborumque quos cibi conficiendi causa susciperent . At quidam non tanta compulsi necessitate , vt equidem suspicor , sed more malo prauoque etiam dum sermonem cum aliis exsequuntur , post tertium quodque verbum spuunt . S . Sunt humidiores cerebro . Quid illis facias ? vt saliuam deglutiant ? hoc medici non approbauerint . R . Sinamus eos spuere , cum illorum constitutio id requirit : dum modo vrbane , declinatione quadam corporis , nulliusque vestem conspurcantes . Item , si quid foedius purulentiisque ac per se creatum eiecerint , pede illud ( ne aspicientem cum nausea offendat ) subito conterentes : quanquam huiusmodi phlegmatica sputa qui sudariolis excipient , vt omnino ne videantur , multo se gerunt ciuilius . P . Illud absurdum rusticumque duco , quod nonnulli tussiculis interpositis loquuntur . Afferunt pro fecto opinionem audientibus , se non habere parata quae verbis prodant : & inter eadem ita tussiuunt , confingere aliquid , ac mentiri velle . R . In vitio sunt isti , quod patet . At illi magis , qui , cum natura compulerit ! , cum sonitu maximo tussiuunt : vt exaudiri possint e longinquo , praesentesque pituitosa aspergine contaminant . Quid autem viactur tibi , Stanislae , de crudioribus , aut saturitate ebriis quibusdam , qui ructus haud cohibent , verum apertis faucibus foetentem

tem crassum que fumum è stomacho ascenden-  
tem in altos exhalant? S. Quid aliud, nisi fron-  
tem perfricuisse? P. Sæpius screantes, & cum im-  
petu magno, perinde vt si conuellere pulmo-  
nès, & euomere omnia viscera conarentur, ferre  
nanquam potui. R. Nihilo magis ego. P. Solent  
etiam pueri distantes, inuicem screatibus signè  
signa dare, se se que monere atque appellare quo-  
dammodo. Hoc modestiæ legibus aduersatur.  
R. Quam inelegans etiam illorum mos, qui cū  
oscitant, pergunt loqui, nec loquuntur tamen,  
sed tanquam mati sentet ad loquendum viden-  
tur vrgerè. Et est reuera potius vlulatus ille,  
quam vox dicenda. P. Adolescens honestatis  
studiosus etiam cauebit ne frequenter oscitet.  
S. Quamobrem? P. Qui id facit, existimari po-  
test eorum quibuscum versatur cœtum collo-  
quiumque fastidire, & alibi esse malle: Arguit  
deinde eadem res hominem animo & corpore  
otiosum atque segnem: occupatos enim rarò of-  
citare cernimus. S. Quid vomentes? num hos  
perferre potes? P. Quosdam ad vomitionem cra-  
pula, quosdam stomachi imbecillitas, aut cru-  
ditas aliqua improuisa compellit. Atque illos  
quidem, qui propter ingluuiem vomunt, in-  
ter porcos deceret vomere: cum ipsi inter ho-  
mines videantur quidam porci, quos scimus for-  
dibus & luto amicas esse animantes. Quacunq;  
autem de causa eueniat, secedendum est in late-  
bram. Multa quippe sunt, quæ cum naturaliter

fiant, ita de muni honeste fiunt, si occulte: in honeste, si in propatulo. R. Quomodo tu hoc nulla interposita dubitatione confirmas, sic nos eisdem nihil omnino refragantes, ut apodixi, assentimur.

## DIALOGVS. LII.

*Risus, sessio, genus flexio, incessus.*

PÆDAGOGVS, COELIVS, QVINTINVS,  
FERDINANDVS *alumni.*

**P**ÆDAGOGVS. Sitenetis pueri, quæ de morum honestate & elegantia adhuc præcepta vobis sunt, bene est, & à me initis solidam grandem gratiam. C. Tenemus utique. P. Tu quidem citra cunctationem satis audacter affirmas pro omnibus: videbimus quam verax fueris, cum depositum exegero. Q. Inter nos hesternò die repetiuimus omnia, cum tu abesses. F. Si vel iam interrogas me, possum recitare. P. Erit cum interrogabo. Nunc alia vos docebo. Ac primùm quæ in risu cauenda. Adeste animis. Totum corpus clamorissimò, & insulsissimò cachinno conuerti, probro datur cuius sexui, cuius ætati. Euge cachinnati: ni faxis, plorabis. Viciosissimum est etiã, quod quidam ridendo hinniunt. Alij os tam vastè diducunt, itaque dentes spectandos exhibent,

vti canes, cum rianguntur. Adolefcentiam verecundius ridere, ac potius tantum subridere pulchrum est: quod Platonem adhuc adolefcentem factitasse inuenio: nec ridere quia confueuerit, sed quia ita necesse fit. Neque verò quenuquam propter aliquid à se lepide ac iocose dictum ridere conuenit, ne semetipsum commendare quasi facetum videatur. C. Habemus quomodo ridendum sit: sine cachinnis, sinne hinnitu, ore claufo, aut paulum modeste que aperto. Quando arridendum est? P. Qui dictis factisue aut suis, aut alienis pæne omnibus arrident, stolidi: qui nullis vnquam, stupidi: qui flagitiosis & impuris, peruerfi lasciuisque iudicantur. Q. Aliquando quispiam in solitudine, aut facetæ rei veniens in memoriam, aut incerta de caussa repentinò ridet. Quid de huiuscemodi risu sentis? P. Quid sentiam? Item Catullo. Nam risu inepto res ineptior nulla est. Et quod in monasticis legitur.

*Gela hominis cantine gelian è.*

*Cum caussa nulla, morior ridet tamen.*

Si cui desubito, aliis præsentibus risus eruperit, vt abhinc biduum Quintino, quid agendum? P. Vt risum hunc inopinatum mirari desinant ceteri, & nequis è corona se derideri arbitretur, promatur causa, si proba est. Si tacenda, aliquid eiusmodi afferatur, per quod leuitatis & ineptiæ suspicionem euitemus. C. Quantum intelligo, non placent tibi loquendi illa ge-

nera, risu corrumpere, dissuere, emori & similia P. Non plus quam ipsi risus intemperantes atque ita modici. Non qui latine non sint, sed quia parum prudentia, seu hyperbolicotera. Q. Si mihi propter factum, narrationemque aliquam de improbitate tantus concitetur risus, qui simul latera, os, venas, vultum, oculos occupet, quem quantumuis cupiens tenere nequeam, quid agam P. Strophio lo aut explicata manu ostendendum suadeo. Quales in sedendo quoque vos esse oporteat, indicabo. Aque parum elegans & politum existimo, distractis diuisisque sedere genibus, atque diuaticatis & disiectis consistere tibiis. Cum sedebitis genua, cum stabitis pedes coniungite, aut aliquantulum disiectos habete. Ne pedem dextrum sinistro superponite cum statis: ne ciconias imitami, quae alteri pedi insistant: neue ita tibiis componite, vt diuidiatum X stantes exprimat, seu ne decussatim stetis: ne tibiam super tibiam sedentes locate, neue pedibus ludite, neue alioqui manibus gesticulamini: haec omnia foeda sunt, & mentem vagam minusque seria cogitantem produunt. F. Quotinum ter quater ita sedere, vt dicebas, obseruauit. Q. Tace tu, ne tua quoque vitia. Nam profecto nec stare, nec sedere, nec ridere satis apte nosti. F. Quot maledicta? Q. Indignis si maledicitur, maledictum id esse duco. Verum si dignis dicitur, benedictum est, meo quidem animo. F. Carnifex quae loquitur? P. Silen-

rium esto, non hic linguis, sed auribus vsus est. Indecorum porro est ita sedere, vt corpus in alterum, velut fulcrum inclines, aut ei tergum obvertas, pedemue sic extollas, vt subligar appareat. Q. Scio quis hic peccet. P. Iterum edico, sile. De flectendis genibus hoc accipite. Vtrūque simul iunctim æqualitèrque inflectere mulierum est. Hoc facere cauebitis. Religiosi & monachi verticem loco genuflexionis inclināt, modicè curuato corpore reliquo. Vos recto corpore manentes, reducto aliquantum pede sinistro vtrumque poplitem mediocriter curuabitis. In hoc tamen, vt in aliis ad mores spectantibus, populorum regionumque mos sequendus, si cum honestate non pugnet. Etenim vnaquæque natio suos sibi mores laudat: alienos ac peregrinos ægrius tolerat. Atque hoc sæculo optandum esset, vt quidam Germani Italismis, Hispanismis, Gallicismis parcius vterentur, & suum sibi pulchrum domi haberent, quomodo aliæ nationes: patriisque moribus & institutis viuerent. C O E L. Arbitramur te copiosum esse posse, si neoterismos istos velles sigillatim recensere. P E D A G. At nihil est necesse. De incessu audite. Cic. 1. Offic. Cauendum autem est, ne aut tarditatibus vtamur in ingressu mollioribus, vt pompæ ferulis similes esse videamur, aut suscipiamus nimias celeritates.

tes. Quæ cum fiunt, anhelitus moventur, vultus mutantur, ora contorquentur. Ex quibus magna significatio fit, non adesse constantiam. Ineptum item passus amplios facere, pedes altè attollere, cum sonitu in terram deponere, tibias collidere, inclinare se inter eundem ad tibialia atrahenda, motu clunium gressus anatum æmulari. Hæc vitabitis, & quæ præcepti paulò ante & alias, ea vsu exercebitis.

C. Sic nos amabit veneranda Honestas, vt præcepta tua nostra modestia vsque facta testata habebimus P. Quamuis autem in singulis istiusmodi, si pecces, paruum quoddam peccatum atque leue committi videatur, tamen vos cogitate, in multis simul atque adeo vniuersis prætermittendis grauer multumque peccari: ex compluribus enim minoris erratis conflatur quoddam ingens. Quo verò maiora sunt, eò cautione opus est maiore: siquidem non ita facilis est singulorum, & tam variorum multorumque animaduersio. Quod si contemnantur, consuetudo nascetur in moribus assidue labendi. Iam vt impensæ mediocres & parvæ, si crebræ fuerint, paulatim & occultè magnum quoq; thesaurum exhauriunt atq; consumunt: sic ista minima & leuissima delicta propter copiam suam quasi furtim hominibus eximiiis famam atque existimationem magis magis eripiunt.

## DIALOGVS LIII.

*Compositio corporis inter colloquendum, & consuetudines rusticanae.*

ADELPHVS, EULALIVS.

**A**DELPHVS. Peruellem, Eulali, si esset tibi complacitum, quod in Grammaticis, idem in iis præceptionibus institutum teneremus, quibus morum laudabilium rationes in gymnasio explicatae sunt: ut alter scilicet alterum super illis interrogaret: quò & tenacius inhaerent in mentibus quæ mansissent, & eodem reuocarentur quæ effluxissent. E. Bonum & æquum oras Adelphe tam mea quàm tua causa volo. A. Per triiduum proximè transactum de congressionibus disputatum esse scis. Quamobrem de his compendio colloquamur, si videtur. E. Mihi verò. A. Incapite primo partes interrogandi, in reliquis respondendi sumam ego: nisi tu aliud vis. E. Velle tuum volo. A. Quod erat primum? E. Quis totius corporis status deceret adolescenti in colloquio. A. Apud viros auctoritate, gravitate, amplitudine aliqua præcellentes cum sit astandum & loquendum aperto capite, tenendusne interim sub axilla pileus? an in manibus habendus ille quidem, circumagendus tamen

sensim in orbem? an inde villi decerpendi? an  
 pulvisculus decutiendus? E. oh, nequaquam.  
 Isti agricolarum, & aurigarum solocissimi sunt.  
 Sinistra pileum teneat, dexteraque ad pectus,  
 seu umbilicum quam leuissime admoueat.  
 A. hoccine modo? E. Hoc ipso. A. Quid oculi  
 & vultus? E. Amico lumine intuendus, qui cum  
 sermonem exsequimur, non toruiter, non im-  
 pudenter, non ferociter. Facies in rubore, pro-  
 inde vt si sudaret, nō abstergenda: nec aliorum  
 conuertenda, nec commutanda: verum in eodē  
 habitu constanter conseruanda. A. Explana hoc  
 E. Prohibemur iam crispare nasum: iam frontē  
 nubibus obducere & consulcare: iam attollere  
 supercilia: iam distorquere labra: iam hiare fau-  
 cibus. A. Qualis animi hæc putas argumenta,  
 E. Vent. fissiui, inprimisq; temerarij. A. Quid  
 habes monere de capite? E. Sunt qui illud quie-  
 tam tenere haud queunt. Sunt qui ipsum qua-  
 tientes petita negant. Quosdam videmus eo re-  
 ducto alios accersere. Alios fricare occipitium  
 vel quatuor digitis, vel vno etiam, quod olim re-  
 prehensum est in Pompeio, vt mea est memo-  
 ria. Horum nihil committendum: vt neque ad-  
 ducendi humeri, agitanda brachia, quasi muscas  
 abigeremus, neque digitis exercenda argutia,  
 vacillandumve pedibus, sed in vestigio primo  
 consistendum. A. Superest de tussi & serreatu.  
 E. Quod necessitas non coegerit, vitandū est:  
 obturbatur enim loquentes. A. Si inter amicos

fedales ac familiāres de vtilibus honestisq; rebus sit introductū colloquū, an me tum ibi obdormiscere deceat? E. Nisi hoc deceat, præbere opinionē isto facto, quasi præsentēs in contēptionem nobis venerint, & ipsorum sermones cum aspersione audiamus. Largiter quosdā in eo, vsque ad rhonchos delinquētes obseruauī: quibus itē salua in barbā destuebat. A. In confes-  
 su confabulantū quid aliud cauendū? E. Ne ex-  
 surgamus, & interea per cōclauē in ambulemus.  
 A. quid præterea? E. Ne corpus iterum iterum-  
 que cōmoueamus, & nunc quidē in hoc, statim  
 in aliud nos latus cōuertamus. Ab agro etiā sunt  
 qui eo ipso tempore, si quā secum ferunt ad se  
 conscriptam epistolam, educunt ē marsupio, &  
 in conspectu omnium taciti legunt: quiq; cul-  
 tello vngues præsecare non erubescunt: veluti  
 si aut nemo adesset, aut qui adsunt, caules aut fen-  
 gi essent. A. Ad cætera delabamur. Tu interro-  
 ga. E. Immò tu interroga. A. Respōdere iam ma-  
 lo. E. Non luētabor tecum, interrogabo.

## DIALOGVS LIIII.

*Consecratio mense.*

MATER FAMILIAS, LIBERI, PATER  
 FAMILIAS.

MATER FAMILIAS. Strauisti ne  
 mensam filij? L. Strauimus, mater. M. A.  
 quā manibus recens ē puteo haustam in  
 guttur-

gutturium infudistis? L. Infundimus. M. Manu-  
 tue si est inquinatus, statim ancillæ meis verbis  
 nuntiate, ac iubete vt suspendat mundius. Tum  
 coquam percõta mini, ecquid percocta iam sint,  
 condita ac penitus apparatus cibaria. L. Factum  
 vtrumque: manule pendet, & escas absumi iam  
 posse coqua respondit. M. Patri hemicyclum  
 cum puluino, & suppedaneo apposuistis? L.  
 Etiam, mater. M. Vocate ad prandium, & ser-  
 uo dicite, vt cibos apportet: ego paulo post ade-  
 ro. L. Pater pater, tempus est cibi capiendi: om-  
 nis res parata est: prandium corumpetur, si mo-  
 raris. P. Quota est hora? L. Decima. P. Suntne  
 omnia parata? L. Paratissima vniuersa. P. Ea-  
 mus igitur pransum. Esuritis vos? L. Vehemen-  
 ter. P. At vbi est mater? L. Ex tẽplo veniet. P.  
 Oh, adhuc in templo hæsitat? nimis pia mulier  
 est mater vestra: diuos precando satiari non po-  
 test. L. Non hoc dicimus pater, sed iam iam ap-  
 parebit. P. Aliquid in mensa deesse animaduert-  
 to. L. Quid, pater? P. Fuscinulam & basim desi-  
 dero: propere afferte ambo. L. En. M. Vt istæ  
 ancillæ semper monendæ, ac vicies per diem in-  
 crepandæ sunt. En apposta est offa, Simul, pue-  
 ri, ante mensam consistite, coniunctisque manibus,  
 & in cælum suspicientes, statas precatio-  
 nes distinctè, citra festinationem, cum attentis-  
 ma cogitatione ac pietate pronuntiate, atque  
 nomen Salvatoris ac Mariæ vtrumque genu-  
 clinate. L. Oculi omnium in te sperant Domine, &

ILLORUM CUM...  
 Como, p...  
 Reg...  
 ...

das illis escam in tempore opportuno, &c. Gloria Patri, & Filio, &c. Pater noster, qui es in cælis &c. Ave Maria, &c. Benedicere dignare nos Domine, & hæc tua munera, quæ ad vitam sustentandam nobis largitus es. Concede quaesumus, ut tuis bonis tibi gratias semper agemus teque collaudantes fruamur. Per Iesum Christum Dominum nostrum. Amen.

## DIALOGVS LV.

*Gratiarum actio post epulas.*

PATER, MATER, LIBERI.

**P**A T E R. Lautè & largè nos accepisti, coniux. M. Eia laudato me tãdem aliquã do mi vir, præter morem tuum. Sed quo argumento istuc? P. Panè candidissimũ, ipsum farinæ florem, vicum generosum, aperugnam iure piperato, pullos gallinaceos, astaco-  
 turnices, agninam, vitulinam, postremo bellaria de saccharo & amygdalis præbuidisti. Si sapius ita splendide prandebimus, oppidò delicatos filios educabimus, & parcè admodum cenare cogemur. M. Pone curam, minimè sumptuosam ac prodigam vxorem sortitus es. Attentæ satis, & restrictæ clauis dedisti. Anuus euoluetur totus, antequam te similibus modis accipiam. P. Cur autem vel hodie? M. Quia mihi natalis est dies. P. Ecce, nõ recordabor: loceros inuitassem  
 si mo.

si monuisses. M. Monebo in annum proximum  
 si superauero: & sciebam illos alio condixisse.  
 P. Iam verò surgamus: Pueri, mappulas vestras  
 componite, & si quid in cyathis relictum, ebibite.  
 M. Ad agendas Deo gratias eo rursus ordine cō-  
 sistite, quo ante accubitam. Tu Martinule, ita  
 vltimus, & ad latus tuum Sibyllula. Huc ades si-  
 liola: assiste ad dexteram fratris. Incipite. L.  
 Laus Deo, pax vivis, requies defunctis. Gratias agimus tibi  
 misericors & miserator Domine, quoniam dedisti esca-  
 timentibus nomen tuum, nosque indignos tuorum munerum  
 participes effecisti. Te oramus, ut celestibus ac sempiternis  
 alimentis post decursa mortalis vite spacia in reg-  
 na tua explete nos digneris. Per Iesum Christum filium  
 tuum. Amen. Paternoster, qui es in cælis, &c. Ave Maria  
 gratia plena, &c.

## DIALOGVS LVI.

*Instruere, & adornare mensam.*

SERGIUS, PROCOPIUS, familiares serui

SERGIUS. Ecquid audisti de Oeconomo,  
 mo, Procopi, hodie in ædibus nostris in-  
 struendam conuiuium? P. Nullum ver-  
 bū. S. Hecus amicos quatuor vocauit, prin-  
 cipes huius ciuitatis, eruntque missus non pau-  
 ci. Lepores, capi, perdices, truttæ, salmones  
 & aliæ conuiuantium deliciae apponētur, quomodo

modò prætereunti mihi apud culinam cocus memorauit memoriter, & ipsa enumeratione me in lassitudinem dedit. P. Quid ais? S. Audi nunc iam. Nos alia alijs: cuique famulo suam manus relinquamus: quod nostrum est præstamus sedulo, mensamque suis rebus & apparatus instruamus. P. In me nihil est moræ. S. Bene factum, quod ancillula euerit scopis hora sexta triclinium: alioqui tu euerere debuisses. P. Tu debuisses. S. Tu debuisses. Utinam quoque pollubrum lauisset, sordet. Sed imperabo ipsi, etiam uin poterit. P. Ad orbiculatam hanc accubabunt opinor. S. Planum id quidem est. P. Tu mappas à famula atriensi posceas, illas arte laboratas, nosti ego tapetum viride quæram, quo primum mensa conuelliatur. S. Posceam. P. Cur tam sero redis? S. Mulierem illam sursum & deorsum cursitando quærere me oportuit. P. Consternamus ergo mensam. En, constrata est. Nunc stanneas quadras afferam, & orbiculū cui patinæ superponentur, ut mappæ ne polluātur. Quot discumbent? S. Octo. P. Quid ita? S. Illi quatuor primarij ciues inuitati, herus, heramator, filius herilis, heramator minor. P. Tibi cochlearia pedunculis inauratis, & cultri manubrijs argenteis curæ sint. S. De sale in pila contuso tria salina imple. P. Ecce. Curram nunc in cellam promptuariam, apportabo canistrum cum pane primario & candido: nam secundarius hinc exulabit hodie. S. Sellas ego conquiram. P.

Vt

Ut promum condum timere fenssi modò, ne nos  
 de pane isto comederemus interea l'eci. P. Um ex  
 non xquè aridus est, vt hic senex. S. Pareus, for  
 didus, tenax & pertinax est. P. Ipse quoque in  
 lecto follem obstringit ob gulam, ne quid ani  
 mæ amittat dormiens. S. Nec me animi fallit  
 cellarium in metu futurum, ne gustemus de vi  
 no. Profectò pitissabimus, dum per domum cū  
 cirneis, lagenis, cantharis ambulabimus. Nec ve  
 rò quisquā est tam ingenio duro, quin vbi quid  
 quam o. casionis sit, sibi faciat bene. Impone cui  
 libet quadræ panem suum, & tege mappula. P.  
 Nondum postulauī recēs lotas: nam quæ in hac  
 capsula, maculis iam sordent. Vado petitum S.  
 Cursum ito. P. Hic ero, cū illic censebis esse  
 me. Adsum, quid iā deest? S. Vas refrigeratoriū,  
 in quod œnophorum & canthari deponantur:  
 nunc enim æstus hiulcat agros, quippe mense  
 Iulio. Item aliud, cuprea illa trulla, in qua cry  
 stallina pocula, & argentea eluantur. Sed hæc  
 postremo. Iam abacum oneremus. Defer qua  
 dras plures, vt permutare ad singulos missus, &  
 quoties opus fuerit, cōmodè possimus. Iam de  
 pane eibario paniceas quadras de secato, quæ ci  
 bis substernantur, qui mos est aulicus. Mi Pro  
 copi, afferto etiam sportulam, in quam reliquæ  
 ciborum & ossicula de quadris à mensa ablatis  
 proyiciantur. P. En' attuli. S. Euge, optimè. P.  
 Simul abeamus ad afferendas pateras, phialas,  
 scyphos, eulullos, cymbia, ciboria, chrysendeta  
 ana:

mis me putassent velle vorare quàm plurimum  
 at que ob eam rem reddidisse ventrem capacis-  
 simum. V. Etiam sic vix te! suspicione exsoluis  
 apud alios. Miror autem his regionibus morè  
 inoleuisse, vt cum honoratis accumbatur nuda  
 tis captibus. Quia apud nostrates mos est oper-  
 to esse capite, saepe obliuiscor huius rei, pileum  
 non de pono super scamno alicubi. I. Iam inde  
 à maioribus hoc fit. An mirum sit, si honoratis  
 honos habeatur; nam poculis & patinis id non  
 fit: quamuis manus lauemus, non tantum vt mū-  
 dæ sint, verum etiam quod panem tractaturæ  
 sunt: quem prisca vti rem sacram attringere con-  
 sueuerunt: ideòque si fortè in terram cecidisset,  
 reuerenter leuabant, & osculabantur. V. Idè  
 à nostri sæculi mortalibus istanc rationem nes-  
 cientibus seruatur quotidie. I. Non autem om-  
 nes prouinciales, nec semper hunc morem de  
 capite nudato seruant: ephebi senioribus reue-  
 rentiam debemus: quemadmodum hoc quo-  
 que nos in primis commendat cedere loci hono-  
 rem alteri cum discumbitur, nec eligere pri-  
 mos accubitus in cœnis. Quod si quis natu maior  
 etiam eò inuitet, honestum est se excusare co-  
 miter: nisi, tertium, quartum, id faciat, tum  
 illius voluntati obtemperandum est, ne vere-  
 cundiam nostram cæteri contumaciam inter-  
 pretentur, & ne prudentiores eo videri velle  
 putemur. V. Arbitror me id adhuc præsti-  
 tisse: & hoc similiter, cum omni pietate

## DIALOGVS LVIII.

videlicet, aut ipsum me preces diuinas ante mensam recitasse, aut dum ex recitarentur quietum astitisse, atque auscultasse. I. Quàm multa existimas post accubitum, inter prandendum cœnandumve obseruanda, si peccari potest non vno modo antequam recubueris? V. Tam multa, vt voluminibus mandari queant. I. Non ergo dies vnus ad enarrandum satis. V. Nec decem. Quid decem? nec viginti. I. Nō me fallunt iocationes tuæ.

## DIALOGVS LVIII.

*Ministrare accumbentibus.*

## DIDASCALVS, PVER.

**D**IDASCALVS. Cū cœnarem heri cum patre patruoque tuo, Christiane, diuisorem te acriter defixis oculis intuentem obseruabam, notantemque curiosè, quomodo singula in portiones diuideret, & cui primò, cui postremò, præberet de patina. Cur id amabo? P. Vt ipsa obseruatione perdiscerim hoc artificium, quomodo me artificio uti oportebit olim, cum virilem togam induero. D. Istanc causam non improbauerim. Cur de missibus raris & delicatis nihil attingebas? P. Memineram te docuisse nos, magis venire gloriam, si his abstineas, quam

si fruarè. Et quemadmodum ille dixerit, nunquam se poenituisse quod tacuisset, quod locutus esset, sæpe: ita fore ut nos quoque nunquam poeniteat quod genus cibi lautius recusauerimus: aut falerni loco aquam biberimus. D. Prudens responsio. Verum, cum pro more gentis nostræ ad extremam mensam, nudatò capite stans: cibum vna nobiscum caperes (quod tamen tum demum faciebas, cum te accedere infimus) cur ante finem epularum discedebas? P. Quia quod natura desiderabat iam sumpseram, & tu me sic agendum esse docueras, præsertim si conuiuium produceretur. D. Tollebas igitur orbem tuum cum reliquijs: precatùsque à nobis veniam, & inflexis poplitibus nos salutans, meque præcipuè, ita abibas. Placuerunt mihi hæc, vidique te moratum esse egregiumque adolescentulum: ac statim patris fortunas laudauit, quignatum haberet tali ingenio præditum: & ille testimonio meo non mediocriter est gaudius. Monui præterea, ut neque te, neque ceteros fratres tuos minores immoderato cibo potuque compleri ac distendi permitteret. & semper citra satietatem potius, magisque crebro, quàm multo alimento vos refici iuberet. Quod si in conuiuiò ad mensam vos adhibuisset, ne vsque ad finem ibi sedere inter conuiuas pateretur. Pueros impuberes, ait Gellius, compertum est, si plurimo nimioque cibo vterentur, hebetiores fieri: aduertimusq; hinc elici tarditatem,

hinc elici tarditatem, corporaque eorum improcera fieri, minusque adlescere. P. Currenti calcar addidisti: ille nos frugaliter alit. D. Vnū nihilominus peroptabam. P. Quid est id autem unum? D. Ut rediisses postea, ac si quid opus fuisset, ministrasses: aut expectasses, si quis voluisset quippiam. P. Id ego reuera facturum erā: at mater quæ foris in culina ancillis imperabat, alia in reme occupauit vsque ad primam facē. D. Sat habeo, mater fuit, matri mos gerendus fuit. Caterum quantò venustius pollitiusque tu ministrasses nobis cœnantibus, quā ille vester famulus? quem inter Faunos & Satyros, in montibus & speluncis apparet educatum. Non verebatur in conspectu omnium dum ad mensam astaret, nunc caput, nunc cubitum fricare, nunc ungues rodere. Aliquando manus in sinum immittebat, nonnunquam à tergo eas coniungebat, quas ipsas indiligenter lauerat. Cum patinam ferret, aut cyathum alicui accumbentium porrigeret, & exspuebat, & alia similia quæ nunc non memini faciebat, quæ tu, si probè ingenuitatem tuam morèsque cultissimos noui, ne magna quidem pœna proposita admitteres. P. Nescio tamen, vtrum omnes numeros in ista parte sim consecutus. D. Vicisti cogitationes meas tuis processibus.

## DIALOGVS LIX.

*Proborum familiaritas.*

PATER, FILIVS.

**P**ATER. Quid hinc tam acriter contem-  
plaris, Theodule, obtutūque hares de-  
fixus in vno? F. Botrum hunc de matre  
suatam pulchrè pendentem, prægran-  
dem illum, & vicino suo acinorum multitudi-  
ne, colorèque liuidulo ex altera parte respon-  
dentem admiror. P. Quod mutuū respiciunt,  
hoc vtrique maturitatem conducit: botrus iux-  
ta botrum maturefcit, habet adagium. Et poeta  
Satyricus. Vuàque conspecta liuorem ducit ab  
vua. Atqui tu, vti puer scilicet, nihil aliud quā  
botrum consideras: nihil adformandos mores  
hinc elicis. F. Quid elicerem? P. Cupis iam  
Octobrem appetere, vt maturis solibus coctum  
decerperem, tibi que donarem hunc racemum.  
Estne vt dico? F. Etiam, pater. Esitare vuas, in  
summa voluptate mihi est. P. Ego te docebo, si  
li, quid cogitandū sit tibi, cū ita eximios, & pro-  
pinquos botros in vite aspectas, quorum alterū  
ab altero maturitatē trahere iā affirmavi: & hinc  
quis sit prouerbij à me adducti sēsus intelliges.  
F. Quid cogitabo? P. Quemadmodū vitia à vitiosis

## DIALOGVS LX.

per conuictum, & societatem: sic virtutes quoq; à studiosis, per familiaritatem & consuetudinē discuntur. Trahit, inquam, colorem virtutis à virtute, & maturus fit ex maturo, qui se cum homine probo tum amicitia, tum omni voluntate sententiāq; coniunxerit. Nec tam ad valetudinē vel conseruandam, vel instaurandā cœli, regionisve salubritas & clementia, quam ad mentis sanitatem, & ad sedatum quietūque animi statū bonorum consuetudo apta atq; opportuna est. Quod si nulla bestia tam fera & truculenta cernitur, quæ diuturno cum hominibus commercio feritatem non exuat, fiatque tractabilior, certè minus ad illaudatas actiones sese dabit improbior aliquis, si cū benemoratatis modios salis comederit. Tu ergo, mi Theodule, ab adolescentulo fuge malos, eorūq; congressionibus & vsu lætare, quorū tibi virtus nota & perspecta fuerit. Habe cordi hæc præcepta mea, vt ego aliquando materq; tua ex nobis te profeminatum esse gaudere possimus.

## DIALOGVS LX.

*A Deo actionum capienda primordia.*

## POSTHV MV S, GEMELLVS.

POSTHV MV S. Diuinare nequeo, cur non modò studia mea, verum etiam quidquid facere occipio, in dies singulos parum rectè

rectè sub manus succedat. Adeon, hominè esse  
 infaultum atque miserum quinquà, vt ego sum  
 G. Mihi è diuerso & studia mea, & quidquid  
 auspicoꝝ quotidie satis prosperè, & ad volunta-  
 tatem. Summo illi rerum parenti ac domino sit  
 gratia. P. Quo artificio, aut qua demum ratione  
 hanc foelicitatem consequeris? G. Nullo artifi-  
 cio: paucis tantum verbis. P. Cationibus, seu  
 carmine magico fortasse. G. Quod Diui Diuæ  
 que omnes auer tant. Quali tu me ingenio arbi-  
 trare? P. Bono. G. Quid factis? P. Bonis. G. Quid  
 religione? P. Optima. G. Quid ergo te istac au-  
 dio loqui? P. Si quid per iocum dixi, nolim te  
 id inferium conuertere. G. Primū cauisse oport-  
 tuit ne diceres. Verū eadem si purgas, mihi  
 patienda sunt. Ignosco. P. Quibus igitur verbis?  
 validam profecto verborum tuorum vim esse  
 oportet, si tātum efficiunt. G. Non te morabor.  
 Memoria tenes nos audisse aliquādo, antiquos,  
 si quid inceptarent præfari solitos. Q V O D  
 B O N V M, F A V S T V M, F O E -  
 L I X, F O R T V N A T V M Q V E  
 S I T: Q V O D F O E L I C I T E R  
 E V E N I A T: Q V O D D I I B E -  
 N E V E R T A N T. P. Memor sum. G. Non  
 te mater tua perdocuit, acturū aliquid, animū ad  
 Deū cōvertere, cuiusq; opē tacitè implorare? P.  
 Nunquā. G. Credo ipsammet non consueſſe id  
 facere. Mei parentes consueuerunt, & ita me in-  
 stituerunt, cum sæpe illud Pauli occinerēt. Om-

## DIALOGVS LXI.

nia quæcunque facitis, siue in verbo, siue in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi facite. Ob hoc itaque res tuæ foeliciter non eunt: opem enim præsidiumque cœleste non flagitas. P. Tuam pietatem imitatus in polterum haud desipiam. Quam adhuc malè, tam posthac bene de me ipse merebor. Velim tamen pro coniunctione beneuolentiæ nostræ precationum ipsam qua vteris, ne me celes: hoc precario abs te peto. G. Illa Ecclesiæ communissima & commodissima est. *Actiones nostras quæsumus Domine aspirando præueni, & adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum.* P. Hec valde arridet, hæc vtar. G. Bene eueniat. P. Et tibi bene sit, qui me hodie ex ærumna non modica extraxisti.

## DIALOGVS LXI.

*Temperantia in victu.*

MAGISTER, SIDONIVS, AMIANVS discipuli.

MAGISTER. Quo tanto altius in memoria vestrū omnium insideant, quæ de adhibenda tibi potusque moderatione disserui, surgite Sidoni & Amiane, atque in medium prodeuntes, ea per quæstiones & responsiones iterate. Sidonius

nus

nus interroget, Amianus respondeat. Si memoria alterum defecerit, ego subueniam. S. Quāobrem edere ac bibere cum modo debemus, & ad mensam venire animo quieto, vt desideria naturæ satiemus? A. Quia, vt Cicero scriptum reliquit, nimio cibo ac potione distenti, mente vti rectè non possumus. Et bene Horat. sat. 2. lib. 2.

*corpus onustum*

*Hesternis vitijs, animum quoque pregrauat vna;*

*Atque affigit humo diuina particulam auræ.*

Bœotios quoq; idcirco tam bardos (ac stupidos) extitisse creditum est, quoniam se vino & dapibus nimium complerent. Hinc Platoni Italicæ & Syracusanæ mēsx in Sicilia probatæ nō sunt. Possumus & testem moderati victus laudare Dei filium, qui iussit vt caueremus, ne corda nostra grauarentur crapula & ebrietate. S. Sūntne coniuncta, hæc duo, edacitas & stoliditas? A. Ferè: nam vt sapientes plerumque videmus minimi cibi, minimique potus: sic contra fatuos pluri. Nec est vt mirandum sit, eos bestiarū (quas natura ad pastum abiecit) morem sequi, quibus cum bestijs tanta est similitudo. S. Quid Ægyptiorum sacerdotes, rerum caussas & sidera accuratius contemplaturi? A. Sæpius toto biduo ac triduo nihil gustabant. S. Lacedæmonijs pueris quid fiebat? A. De cimo quoq; die Ephoris se sistere cogebantur. Hi, quæ molliorem pinguiorēmq; cernebant, eū plagis onerabant. Quin etiam

tiam apud ipsos ciues dedecori magno erat, ob-  
 sum habere corpus. S. Quæ fuit diui Augustini  
 sententia? A. Sobrietatem ingenuarum artium  
 procreatricem & magistram: ebrietatem inge-  
 niorum pestem esse. S. Hucusque quid ingenio  
 ac literis officeret intemperantia: nunc quid va-  
 letudini commodet expone. A. Nimum quan-  
 tum incommodat: non enim reficiuntur vires,  
 sed opprimuntur. Diogenes aiebat earum do-  
 morum, in quibus est alimentorum copia, mul-  
 tos esse mures ac feles. Similiter corpora, quæ  
 multo cibo pascerentur, etiam multos asciscere  
 morbos. S. Quorum maximè insignia exempla  
 in hoc vitio ventris & gutturis allata sunt? A.  
 Duorum Imperatorum, Vitellij & Maximini.  
 S. Qualis prior? A. Cum voluptati huic edendi  
 & bibendi maiorem diei noctisque partem tri-  
 bueret, vt epulis nouis locum faceret, vomitu  
 onus reiciebat. S. Qualis posterior? A. Quadra-  
 ginta libras carnis vno die absumebat: vini am-  
 phoram exhauriebat: adeo vbertim sudate cor-  
 pore, vt in calicem sudor colligeretur. Et man-  
 datum est literis, vno die collectum sudorẽ tres  
 sextarios impleuisse. M. O flagitiosam hominũ  
 fœditatem. S. Quorum contra laudata est tem-  
 perantia? A. Cyri maioris. S. Quid is? A. Cum  
 ex eo ho spes quæreret, quid ad conuiuium pa-  
 rari iuberet: panem, inquit, solum: spero enim  
 me apud flumen cœnaturum. M. Adhuc eorũ  
 mitis sententiæ Diogenis. Eos irridebat, qui cõ-

sitirent, fortes præterirent, & quærerent vnde  
 Chium aut Lesbianum vinum emerent: insipien-  
 tiores bestijs, quæ nunquam fontem fluentum-  
 que prætereant, quin bibant, si sitiant: neque si  
 esuriant, ab herba & gramine obuiose abstinent.  
 Pergite. S. Cuius insuper? A Socratis. Cùm vo-  
 casset ad cœnam diuites, & Xâtippen puderet  
 modici apparatus: Bono, inquit, esto animo Nã  
 si quidem modesti erunt frugique, mēsam haud  
 quaquam aspernabuntur: sin autem intemperā-  
 tes, nulla nobis de hisce cura fuerit. S. Ecquid  
 tertium suppeditat? A. Etiã. S. Cuius illud? A.  
 Alexandri Magni. Huic cum Regina Carix ci-  
 bos & bellaria curiosissimo artificio apparatus  
 subinde ostentationis causa mitteret: Meliores  
 sibi esse dixit cocos nocturnum iter quo pran-  
 dium, & parcitatē prandij, quo cœnam sibi sua-  
 uem redderet. M. Pars est intemperantiæ, res  
 ad epulandum exquisitas appetere. Socrates  
 quidem hanc voluptatem nullo loco numera-  
 bat, cuius est: cibi condimentum esse famem, po-  
 tionis sitim. S. In alteram partem qui peccant?  
 A. Qui inedia immoderata & actiones mentis  
 impediūt, & corporis bonam habitudinem pla-  
 ne corrumpūt. M. Huiusmodi hæc sæcula pau-  
 cos proferunt: plena nimirum comedonibus &  
 combibonibus. Bene & ordinatè alter  
 vestrum quæsiuit, bene alter res-  
 pondit: vtrique suum erit  
 præmium.

## DIALOGVS. LXII.

*Malorum societas.*

MATER, FILII.

**M**A T E R. Huc adeste filij, matriq; vestrae vacuas aures adhibete. F. Praesto sumus, loquere quae vis. M. Animaduerti ego vos cum pueris cenopolae, qui ab hinc biennium commigravit huic viciniae, versari crebrius, eorumque familiaritate & colloquijs impendio delectari. Sic habetote, neutiquam placere mihi, vos conflictari cum illis ingenijs. F. Neutiquam? quid ita verò, o mater? M. Quia liberos meos iuxta claudos habitare non fero, ne ipsi quoque claudicare discant. Nolo, inquam, vos prauorum, maleque educatorum puerorum moribus inficere animos: quia salus vestra mihi, pro eo ac debet, est charissima. F. Quantum nos scimus, sunt non mali. M. Sed quantum ego scio, sunt non boni. Velletisne assidui esse cum lippis? F. Non. M. Cum balbutientibus? F. Non. M. Cum scabiosis? F. Non. M. Cum pestilentia laborantibus? F. O Christe, ne tantum malum. M. Quare nolitis? F. Eadem ad nos corporum vitia, eadem lues, iidem morbi transfunderentur: sunt enim contagiones istae, quae manare

solent

bibere, delicatioribus epulis ventriculum distendere, parentibus nummulos, sodalibus globulos aut ligulas farari, comparare se & præferre ingenio condiscipulis, loqui quantum & quando libet, affirmare falsa, inficiari vera, libenter agere cū mulieribus nō cognatis, lædentem vicissim lædere, inuitum sapius per annum, & oscitantem de noxis confiteri, tempus otio conterere, & id genus alia. A. Non amo ne ista quidem: & magister seriō nos hortatus est, vt vitaremus parua, si vellemus maiora effugere: nam ex illis ista generari. Scintilla, inquit, quantilla res est? & tamen neglecta fit ignis, qui domos, sylvas, ciuitates depascitur. Qui modica spernit paulatim decidet. Et rursus Ouidius.

*Principiis obsta, sero medicina paratur,*

*Cum mala per longas inualuere moras.*

N. Obtempera igitur cohortationibus istis, neō modo in iis, quæ aduersus Deum, verum etiam quæ contra homines, contraque morum commoditatem committuntur caue pusilla, ne grandiora & robustiora fiant, quæ aliquando, etiam si maximè contendas, propter inueteratam consuetudinem deserere non queas: vt manè faciem & manus non abluere: vestimenta non purgare à pulueribus. non salutare obuios: cachinum tollere: respondere impatientius: ingredi aut nimium tardè, aut nimium festinè: non gratificari cuiquam in rebus facilibus: & huiusmodi plura, quæ te non fugiunt, summa spe & ani-

mi, & ingenij præditum adolescentulum.

DIALOGVS LXIV.

*Libelli scurriles.*

SEMNOPHILVS, PHILOLESCHVS pueri,  
MAGISTER.

**S**EMNOPHILVS. O facinus ani-  
maduertendum. S. Ah, file. S. Non fi-  
leo. P. Per tuam misericordiam oro  
ne indica. S. Surdus sum. Præceptor, iste  
apud se habet Marcolfum. M. Hem, Marcol-  
fum? Illūne iocularē libellum? S. Reuera  
illum ipsum. M. O te leuissimum, & plenum  
ineptæ curiositatis puerum. Non solum hoc nu-  
garum domi tuæ legis: sed etiam in gymnasium  
tecum portare, & in hac virtutis ac sapientiæ  
non leuitatis & inanitatis officina legere audes?  
P. Nihil continet mali. M. Parum hoc tibi pa-  
trocinatur: nihil continet mali, si nihil continet  
boni. Porrige protinus. P. En. M. Aspiciat nūc  
pro Rudimentis, pro Catechismo suo voluit  
Marcolfum. P. Animi gratia tantum illego. A.  
Audio. Tu in schola legis quædam animi gra-  
tia? an huc venticamus tanquam ad visendos sal-  
tatorum choros, aut equestres ludos, aut con-  
gressus athleticos animi gratia? Habes de hac

turba

turba alios? P. Non habeo. M. Attamen nosti  
 præterea quosdam. P. Novi. M. scilicet. P. *Eu-  
 len spiegel, Schimpff vnc Erust. Fortunati VVunschbüch-  
 lin, Rollvvagen, &c.* M. Evoluisti tu hæc figmen-  
 ta? P. Bonam partem singulorum. M. Cum fru-  
 ctu profecto tempus collocasti. Quod potissi-  
 mum inde emolumentum excepisti? P. Nescio.  
 M. Si tu nescis, iuxta tecum nescio. P. Nisi ta-  
 men sæpissimè risi, & quidem effusè. M. O li-  
 bros non libros, quorum vnica laus, excitare so-  
 lutissimos risus. Vellem tamen hos solùm exci-  
 tarent, non etiam ad alia incitarent. Accipite ani-  
 mis quæ dicam. *Cui* canque vestrum similes beli-  
 li sunt, si alieni, restituat quam primum: si pro-  
 prii, ad me afferat, aut in ignem infœlicibus stu-  
 landos lignis coniciat. Nam si quem eos lecti-  
 tare cognovero, is vapulabit liberaliter. Multa  
 in iis ioca, sepe frigida, agrestia, insulsa, turpia.  
 Amatoriis & rrationibus redundant: Ecclesiæ ce-  
 remonias, sacerdotes, monachos, Deo dicatas  
 virgines, sacramenta, fidem denique Catholi-  
 cam petulantissimè irrident: animi partes ma-  
 iores à virtute detorquent: & ad omnem leui-  
 tatem impudentiàmque duces sunt. Scio exta-  
 re in Germania nostra alios libellos, quorum fi-  
 cta sunt argumenta, quorum scopus ac finis  
 utilis & honestus est, in quibus nihil ineptum,  
 friuolum, maledicum ac sordidum, eos legere  
 non veto. Tamen uti bellaria eduntur in conui-  
 uijs: nec id in hac ætate, in qua vos estis, ve-  
 rum,

rùm in maturiore, quæ consilia scriptorum videre, vnamquamque rem suis ponderibus examinare, ficta à veris, honesta à turpibus, grauia à scurrilibus, vtilia à damnoſis ſecernere poteſt. Tales ſunt fabulæ poetarum plurimæ. Tales ipſimet Poetæ, vt Homerus, & Virgilius, in quorum poematis plura excogitata quàm vera, & tamen grauitatis ac ſapientiæ refertiſſima. Tales denique alioquot apud Latinos & Græcos prudenter & ingenioſè excogitatæ historiæ. Libros ab hoc Marcolſi diſcipulo nominatos, eorùmque affines puto à viris grauibus, & honeſtatis amantibus legi non ſolere. Quanto minus legendi ſunt pueris, niſi in perniciem ſuam faciles eſſe velint? Nam eorùm ingenia cerea ac tenera cùm ſint, paullo momento vt in bonum, ſic in vitioſum habitum formari conſueuerunt.

## DIALOGVS LXV.

*Formula bene precandi.*

DICASCACVS, BERNARDINVS, CACILIVS, FVSCVLVS.

**D**IDASCALVS. Formulas illas, quibus alicui, aut aliquibus latinè, moreq; Chriſtiano bene precari poſſumus, mihi recitate. Bernardine. B. H. E. Præceptor. D. Quibus verbis peregrè abeuntis

ſeu

seu in viam se danti optares prospera? B. Istis. Hoc iter *fœlix saustuuque tibi sit.* D. Aliter. B. Faxit Deus, *vti saluus & incolumis reuertare. Bene prospereque istuc tibi itineris eueniat. Angelus Domini te per hanc viam comitetur.* D. Quibus peregrè redeunti? B. Optatus mihi & *charus accidit tuus iste reditus. Reditione tua multum me exhilaratum sentio. Quod sanus reuerteris, gaudeo. Deo sit laus, qui te firmum valentemque nobis restituit. Tua reuersione etiã atque etiam lator.* D. Prudentibus & cœnantibus bene ominare Cæcili. C. *Escam potumque vestrum Deus benedicat. Sit vobis hoc prandium, seu cœna salutaris. Vtinam ista epula conducã vestris corporibus.* D. At te mox redibo Bernardine, si Fusculum interrogauero. Age Fuscule, quid dices ægrotanti, quod audiat quã libentissimè? F. *Deus Opt. Max. tui misertus valetudinem tibi redintegret.* D. Dic reliqua, nam plures formas recordor me dictasse vobis F. *Ab hac febrî, ab ista colica, ab isto morbo liberet te Christus, qui sanauit omnem languorem. Christus Iesus Dei filius, te famulum suũ sanare dignetur, cœlestis ille medicus te curare pro sua misericordia bonitateque velit. Auctor & largitor vitæ tibi vitam producat. Ex ista ægrotatione Dominus noster Iesus Christus te clementer eripiat. Medicinam malo tuo faciat misericors Dominus. Leuare dolores tuos, & de pelle-re morbum istum dignabitur omnipotens pater.* D. Sat multas. Quid sternutanti? Bernardine. B. *Deus te seruet: sit saluti.* D. Nihil aliud? B. Nihil, quod sciam aliud dixisti in hoc genere. D. Propinanti seu bibenti? B. *Sit saluti, prosit, proficiat, conducatur,*

## DIALOGVS LXV.

qua vulgi sunt. Sit felix haustus: sit salubris potio: bibe sa-  
 lutem. Accipio parlibenter. D. Diem & noctem? B. Hic  
 tibi dies candidus illuxerit: felix procedat tibi hic dies.  
 Hec nox tibi commoda transigatur: prosperam, placidam  
 tibi istam noctem precor: somnus tibi placatus contingat.  
 D. Si quis vxorem ducturus sit domum, qua ra-  
 tione homini precabimur bona Cæcili? C. Ma-  
 trimonium tibi Deus superique omnes fortunent. Nuptias  
 istas Deus sanctificet. Quod tibi sempiternum salutare  
 sit procreandis liberis Quod Raguel Tobia iuniori & Sa-  
 ra filia coniugio copulandis, idem ego tibi tuaque precor.  
 Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob vobiscum  
 sit, & ipse coniungat vos, impleatque benedictionem  
 suam in vobis. D. Optato aliquid boni honorem  
 adipiscentibus, Fuscule. F. Hic honor tibi perpe-  
 tuus sit. Deus hanc gloriam, istud decus tibi perpetuum  
 faciat. Hunc honorem Deus tibi conseruet atque augeat.  
 Gratior tibi de honore isto: Deus faxit vt eo dignus ma-  
 neas. D. Opus quod piam aggredienti? F. Quod  
 bene vertat. Quod fauste feliciterque cadat, eueniat. Tuis  
 cæptis adsit Deus. Cæpto aspiret Iesus. Deus incepta  
 tua ad exitum felicem perducatur. Deus hunc laborem  
 tuum fortunet. D. Nouo anno incunte, quæ bona  
 verba dicemus? F. Hic annus tibi faustus procedat.  
 Viue hunc annum sanus & incolumis. D. Nihil  
 est præteritum. Amo vos mul-  
 tum de memoria & di-  
 ligentia.

## DIALOGVS LXVI.

*Virtutis laus.*

THAVMASIVS, DOXOLOGVS.

**T**HAVMASIVS. Quî fit, vt cum vel auditione accipimus, vel ipsimet legimus Alexandri Magni, Themistoclis, Scipionum fortitudinem militarem, Curionis & Fabricij diuitiarum contemptem. M. Artij reguli inuictum animi robur, & de nostris hominibus Hieronymi in vasta solitudine assiduum periculosumque cum dæmonibus certamen, Cæciliæ, Catharinæ, Henrici & Cunegundæ coniugum atque Imperatorum castitatem, alia demum à Græcis, Romanis, Christianis, aliisque vbicunque terrarum populis piè, continenter, iustè, humaniter, beneficè, fortiter, clementer, temperanter, toleranter, moderatè, sapienter, pudicè, fideliter gesta, innocenterque ab aliquo exactam in terris vitam quî fit, inquam, vt eos homines tantoperè diligamus, adiniremur, animo suspiciamus, collaudemus, eorùmque nos similes fieri ardentè optemus? cū tamē eos aliquādo nec viderimus, nec vt videremus, sperare potuerimus: quippe quorū pleriq; ante nos mille, aut duob<sup>9</sup> annorū milibus

libus & nati sint, & occiderint. D. Hæc vis & natura virtutis est: qua quidem nihil prouocat æquè homines ad se diligendum. Diliguntur, vt nosti, pecuniæ; magis tamen diligitur virtus. Honores amantur: amplius amatur virtus. Chari sunt affines, cognati, parentes: charior virtus: quando nihil ea ditius, nihil honoratius, nihil formosius, nihil naturæ nostræ vicinius atque coniunctius. Dati sunt nobis paruuli eius igniculi statim atque homines esse cœpimus: sunt ingenis nostris semina innata virtutum: sed pluri prauis cupidinibus capti, peruersisque opinionibus corrupti & exæcati, celeritate eos restinguunt, nec sinunt beatam à diuina semente prouenire segetem, Meritò itaque nihil etiam eadem dulcius, venerabilius, laudabilius, admirabilius: cui quidquid sub terra & supra terram est gemmarum & thesaurorum non potest comparari. Quin si opes mundi, & bona omnia in libræ alteram lancem imponerentur, tamen virtutis lanx tantum propenderet, vt terram & mare deprimeret. T. Per simiie quiddam vel in Tusculanis, vel in nescio quoto lib. de Finib. legisse memini, à Peripatetico philosopho, aut Stoico dictum. Egregia sanè laus illius etiam hæc: quod cum homine non interit, immortalis atque æterna est. Improbiorum autem vitam mortemque iuxta æstimamus, quoniam de vtraque siletur, ait Crispus Sallustius. Viuunt clari viri, claræq; mulieres etiã postquam diē suū extremum

tremum viderunt: & viuunt in memoria atq; in animis viuentium, quæ est vita scilicet mortuorum. Nec vlla sequens ætas de illorum potest laudibus conticescere: virtutis quippe lumen & maiestatem obstupescunt barbari quoque, & hostes in hoste diligunt. D. Quam multa sunt laude digna? attamen sine virtute nihil vsquam laudabile: quæ per se ipsa est laudabilis, quàmque gloria tanquam vmbra corpus necessariò comitatur. T. Vt mihi suaue dat solatium illud in quadam Verrinarum M. Tullij? Maior est virtutis iucunditas, quàm voluptas quæ percipitur ex libidine & cupiditate. In crucem cum suigula Apicij. Veniat, & nos amplectatur, nobiscumque dignetur habitare frugalitas. Discedat procul ebriositas, in eiusque locum sufficiatur sobrietas. Cedat superbia modestiæ, auaritia liberalitati, libido castimoniæ, ira mansuetudini, atrocitas clementiæ. Nulla, nulla est in scelere pura & liquida lætitia: multa potius amarities, perpetui aculei, quibus animi nostri dies atque noctes cruentantur, & confodiuntur. Non est oblectamentum (aiunt sacræ literæ) super gaudium cordis. Atqui huius gaudij effectrix est & parens virtus: quæ vt sol oriens totam cœli amplitudinem radiis suis illuminat, sic ipsa mentem humanam postquam est ingressa, totam reddit lucidissimam. D. Ea item honestissimarum volūtatum, æquissimarum sententiarum, probatissimarum actionum mater est, conciliatrix bonorum omnium.

Nam rectè Plautus: omnia affunt bona ei, quem penes est virtus. Hic solus dicendus diues, quādo nulla inuenitur neque splendidior, neq; augustior, neque permanentior, neque immobilior, neque amplior, neque vtilior, neque delectabilior possessio. Qui eius hereditatem adierunt, nihil sibi deesse arbitrantur, nulla re indigent, nihil appetunt, nihil requirunt. Iterum dicā: habet omnia, qui virtutem adeptus est. Nec parum diu vixit, qui perfectæ virtutis perfecto functus est munere. Qui autem habet vitiū, nec se ipsum quidem habet. Non enim in sua ipsorum potestate versantur dediti effrænatae licentiae, & indomitis cupiditatibus. Et quamuis imperitent alii, ipsi nihilominus vt mancipia turpissimis dominis obsequuntur ac seruiunt. T. Quod de immobilitate constantiāq; virtutis aisti, id verbis Tullianis ita explicabimus. Nec eripi, nec surripi, nec naufragio, nec incendio, nec temporum permutatione amitti aut permutari potest. In seua tempestate quieta est, in tenebris lucet, pulsa loco manet, nulla vi labefactatur, splendet per se semper, nec alienis sordibus unquam obsolescit. D. Addamus hoc. Non vt ferrū & marmor, sic etiam virtus vsa conteritur & absumitur, Immo verò quò vtimur ea frequentius, eo crescit magis, magisq; perficitur. Quid verò nos mare exhaurire cōcedimus? T. Qui dū? D. Cū nullū possit genus orationis reperiri, q̄ vnus alicuius virtutis dignitatē consequatur. P̄  
erit

erit tantum ingenij flumen, quæ tanta dicendi exercitatio, quæ omnium virtutum simul decus & excellentiam vel adumbret? quanquã igitur multa de virtutis laudibus diximus, nihil tamẽ illius nobilitate facis dignum diximus. T. Haud quidquã secus est. In hoc apertissimẽ diuina se benignitas ostendit, cum animi nostri ita componuntur & conformantur, vt compressis perturbationibus, & sedatis motibus turbidis vitã tranquillissimam, & cœlestium vitæ similem in terris degamus. Quin eiusdem beneficio in cœlũ recipiamur: siquidem nihil hominem Deo tã charũ efficit vt virtus. Hinc in sanctis libris toties legimus ipsum iis, in quibus magna virtus inerat, obtẽperasse quoddãmodo, & ad eorũ sese arbitriũ voluntatẽq; inflexisse. D. Desinamus plura, cogitemusq; quamuis eiusmodi sit, tamen longã & arduã ad illã esse viam: quæ quidẽ sit aspera primum, deinde plana, mollis & iucunda. Cæterum ne deterreamur, atq; ad ipsam virtutem virtute duce, id est, cum labore perseverantiaque tendamus.

## DIALOGVS LXVII.

*Catechismus.*

HIPPOLYTUS, VITALIS.

HIPPOLYTUS. Latus sum. V. Quam obrem? H. Quia didici. V. Quid didicisti? H. Catechismum. V. Totumne, & ad

& ad verbum? H. Totum, ad verbum. V. Qui tā breui spatio libellum paginarum adeo non paucarum? H. Diligentia quid non vincit? eam mihi subsidio comparavi. V. Atqui nec ego segnitē ad hoc ipsum incubui, tamen vix dimidiarū comprehēdi: itaque animi valde discrutior. H. Fortassis memoria non perinde vales. V. Hęc caussa est, vti conijcio. Quādo reddemus ex memoria? H. Perendie ante meridiē: ita iussit Præceptor nobis renuntiari. V. Interea discam plurima. H. Non me superabis. V. Quid ita verò? H. Quia post finem quò ego perueni, restat nihil. V. Intelligisne totum? H. Immò etiam. V. Reliquum est, si & memoria tenes, & probè intelligis, vti secundum eius doctrinam viuas. H. Viuam Deo iuuante. Et tu, quamuis nō teneas, nihilominus decem præcepta custodire debes, & alia quæ ibi mandantur, quæ ad duo capita rediguntur: declinare à malo, & facere bonum. V. Scio nobis Catholicis temperandum à vitijs & criminibus, studendūque virtutibus, & fidem sine operibus esse mortuā. H. Incitauit me quoque permultum genitor, qui, si scirem perfectè, non vile præmium mihi se daturum appromissit. V. Quod? H. Pallium nouum panni optimi. V. Satis honestum magnūque præmium. H. Quid tu exspectas? V. Præter laudatiunculam à Præceptore nihil, si sci uero: præter verbera si militer nihil, si ignorauero. H. Vtraque merces sua mercede condigna est. Sed vis te audiam

prius, quàm in gymnasio recites? V. Admodū.  
 H. Vbi? V. Domi meæ. H. Quo tempore. V.  
 Cras post meridiem, scūm scilicet à studijs erit  
 otium. H. Accedam igitur ad te. V. Accede.

## DIALOGVS LXVIII.

*Sacra conciones.*

ARSENIVS, REMIGIVS.

**A**RSENIVS. Vndenam de improvi  
 so sese offert Remigius, & quò gres-  
 sum dirigit? R. Ex æde restà venio: do-  
 mum ire propero. A. Quid prohibet,  
 quin eam tecum? R. Si libitum est, ito, vt pran-  
 deamus vnà: iam enim habita concione, confe-  
 ctisque sacris, prandiū haud longè abest: & sto-  
 machus exinanitus turbas dare incipit. A. Au-  
 distine igitur concionem? R. Verò. A. Vsq, ad  
 finem? R. Satin sanus es, qui me id rogites? Nun-  
 quam mihi mos fuit, vt quibusdam, sub extre-  
 mum, aut mediū aduenire: à princinio ad sum:  
 & vbi postrema verba Ecclesiastes effatus est:  
**QVOD NOBIS CONCEDAT**  
**DEVS PATER**, nosti cætera, non me re-  
 pentē domum capesso, ex spectro aliquantum,  
 positus in terra genibus, dum vſitatam precatio-  
 nem, generalē mque, vt appellant, cōfessionem  
 recitauerit. A. Benè tu quidem & piè, sine con-  
 trouer-

trouersia. At interdum nescit modū tenere, ni-  
 mium dicendo prouehitur: interdum, vt adul-  
 ta hyeme, vel nolentem me asperitas frigoris ē  
 templo expellit. R. Frigus animi vel media estā-  
 te multos exire ante finem cogit, & quantum-  
 uis breues conciones facit videri quā longis-  
 simas. Meo iudicio, vt bona oratio, seu bonus li-  
 ber hoc melior, quo longior, sic bona concio. A.  
 Antu singulis concionibus interesse morem ha-  
 bes? R. Singulis nisi me aliqua commotiuncu-  
 la, opulve necessarium impediat. A. Quid ais?  
 R. Sic est res. Atque hoc tu minus, equidem mi-  
 ror. A. Ad hoc diligentia non processi. Talem  
 domi spiritalem quempiam libellum, aut Chry-  
 sostomi, Augustini, aliorumve Patrum homi-  
 lias lego per id tempus. R. Non aequē lectis, vt  
 auditis afficimur. Ipsa vox, vultus, gestus, & to-  
 tius corporis venusta moderatio rebus momen-  
 tum & pondus addunt, atque ad motus animo-  
 rum miscendos proficere solent maximoperē.  
 A. De concionatore nostro quid dicis? R. Quid  
 ego dicam? Esse viuum probum, huic officio per  
 idoneum, populo per gratum & salutarem. A.  
 De probitate quod narras, tibi libens assentior:  
 constanti enim fama vulgatum est, eum extra  
 culpam viuere: nec verbis solum, sed etiam exē-  
 plo docere, qui est modus docendi, ita viuum,  
 optimus. Cetera velim demonstrēs: nam ex  
 tuo sermone me commodorum quippiam ex-  
 cepturum spero. R. Primum in ipsa personā  
 homi-

Dominico Garcia de Viana de Viana

hominis quanta dignitas? vultus grauis, non  
tetricus: capillus promissus & albus, corporis  
statura infra proceritatem, neque tamen bre-  
uis, vt pumilionum. Num hæc auditorem con-  
ciliant? A. Credo. R. Vox canora, grauis, &  
firma: sermo purus, dilucidus, limatus, festiuus,  
copiosus: actio varia, & sententijs respondens,  
plena animi, plena spiritus. Ardet ipse, vt alios  
incendat: opus Euangelistæ facit, partèsq; do-  
ctoris Ecclesiastici cumulatè implet, si quis  
alius. A. Quas tu concionatoris partes arbitra-  
re? R. Diuina mysteria populo interpretari: si-  
dem Catholicam declarare: pestiferos magi-  
stros refutare: superstitiones, & vitiosas morù  
consuetudines radicitus extirpare: ad vitæ in-  
tegritatem & sanctimoniam audientes insti-  
tuere. Hæc autem omnia fient, quo regnum  
Dei amplificetur, diaboli imperium dissipe-  
tur, funditusque euertatur. A. Vnam mihi du-  
bitationē euelle, si potes. R. Propone. A. Quo  
pacto se ponere potest in gratiam apud popu-  
lum, vt tu confirmas, cum toties mala facino-  
rata tam acerbè infectetur: ebrietatem, ludos in-  
fames, res Veneris, commestationes, & alia, in  
quibus volutari innumeros, & à quibus ægrè ab-  
stineri palam est, ille nunquam non accusat:  
ieiunia, preces, virginitatem, iniuria-  
rum patientiam, quæ naturæ humanæ ingrata,  
odiosa & iniucunda sunt, semper crepat. R. In-  
ter malos, Arseni, fermè aliqui reperiuntur

non

cano 180 D. J. J. J.

non mali, aut non æque mali, qui omninò, aut saltem aliquousq; Deo placere enitütur. Deinde. quoniam sacris Christianis imbuti sumus, etiam quæ facere nolumus, nihilominus & vera esse credimus, & libenter audimus. Quæ autem peccata, præsertim ex animi quadam effœminata mollitie cõsciscimus, ea ipsa nequaquã in laudandis numeramus. Video meliora probòque, deteriora sequor, ait Medea apud Ovidium. A. Rectissimè. R. Huc accedit, quod Ecclesiastes noster non cum supercilio, & vt Pharisæus aliquis, cæteros hominum despiciẽs, sed mansuetè, cum significatione amoris, & obsecrãdo magis quàm increpãdo à sceleribus nos auocare, & ad veræ sanctitatis cultum atque studiũ allicere conatur. Quare crebrius audiui gemitus, vidi tundentes peccora, aspexi lacrymas concionis quæ sunt præclari concionatoris certa testimonia: & tales illi, non alij plausus acclamationèsq; optandæ sunt. Tum enim profectò, **B E I L I S S I M E**, tum: **N O N P O T V I T M E L I V S**, & similia (quæ oratoribus Romanis à corona Quiritum claris vocibus acclamabantur) dicere apud se quemque fas est. A. Iam dudum exoritur mihi opinio, te concionatorẽ fieri destinasse, quando tam disertè personam eius nosti describere. R. Scopum feris, destinavi. Etenim, si honorificum putamus in oratorũ cooptari ordinem, & ciuilibus eloquentiæ laudes tam sunt eximix, tam copiosæ, cur non æquè, cur

*Libro VIII*

tur non magis etiam honorificum ducimus con-  
 cionatorem, id est, Christianum ac coelestem  
 oratorem fieri, consecrariq; diuinam eloquen-  
 tiam, cuius magister non tam. M. Tullius, quam  
 Spiritus sanctus merito statuatur? A. Quod fœ-  
 lix faustumque sit, Diui te omnes adiuent. R.  
 Atque ideo Rhetoricæ me dedo vehementius:  
 quando non mediocres eam afferre commodita-  
 tes ( vt etiam alia non sacra studia sacris literis  
 mirabiliter profunt) ex aliis didici, & ipse me  
 experiundo cognosco. A. In posterum frequen-  
 tius auscultatam ibo, auscultaboque diligentius  
 & studebo fidelius retinere, quæ disseruerit. Iu-  
 uabit eodem, quod distinctè & ordinatè dicit.  
 Repetam quoque capita concionis vel textum,  
 vel cum alio, in quem amicum incidero. Memi-  
 ni intra paternos lares eum degerem, quomodo  
 me parentes antequam accumberem facere cõ-  
 pellebant. R. Quid illud? A. Si nihil retinuissem  
 cibum deducebant. Si multa, præmiolis diligen-  
 tiam remunerabantur. Hoc si parentes sibi ho-  
 die imitandum sumerent, liberos suos tam in-  
 dulgenter ac dissolutè non haberent. R. Pro ne-  
 fas, nec ipsi auditum eunt, nec quantum illi in  
 disciplina Christiana progrediantur, vlla solli-  
 citudine curæ tanguntur. A. Agam vt pollici-  
 tus, & me ipso meliorè me reddam, Deo propi-  
 tio: id quod vnum concionator à nobis esflagi-  
 tat. Nam quod nonnulli apud cerdones, fullo-  
 nes, & ignobile ac rude vulgus philosophantur,

demiror, cur templum in gymnasium conuer-  
tant. R. Mos vituperatione dignus. Nonne irri-  
dendos existimas, qui crebris prouerbiis, & fa-  
bellis, verborumque lenociniis, & diceriis ple-  
bem demulcent, ac sæpius Ciceronem, Horæ-  
tium, Platonem adducunt, quàm Isaiam, Mat-  
thæum, Paulum, & huius notæ alios? A. Osten-  
tatores videntur mihi, & logodædali. Viden-  
tur, in quam, mihi fumum venditantes aucupari-  
rum musculos, & inanem captare gloriolam, pro-  
charim legontes: eorum nempe oratorum per-  
similes, de quibus Demosthenes tam sæpe con-  
queritur. R. Prorsus ita res est, vt dixisti.

## DIALOGVS LXIX.

*Missa sacrificium, & instrumentum sacrum.*

MACABIVS, SEBASTIANVS.  
VICTORINVS.

**M**ACARIVS. Cum tua peruideas oem-  
lis mala lippus inunctis,  
Cur in amicorum vitio tam cernis acutum?  
Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius?

S. Eho, in me istos versus, de satyra (si ritè recor-  
dor) an in Victorinum? M. In te S. In me? M.  
Dixi. S. Haud equidem auspiciò huc me attu-  
li. Quid hic sibi vult? M. Quid vult? Te ad mone-  
re, vt ante trabem de oculo tuo, quàm festucam

de alieno. S. Videlicet hoc insinuas. Quoniam paullo antè culpas tibi quasdam exprobrauerim: quod ad rem diuinam tardius nonnuquam accederes: quod sacris aliquando nondum absolutis furtim te proriperes: quod susurrationibus vicinos impleres, haud prudenter, nec humaniter me egisse, vt pote qui plura offenderim. M. Bene augurate, & testem laudo Victorinum, quàm tu interea, dum sacra fiunt, egregius sis, & spectatu dignus. V. Testimonium mihi Macarius denuntiat, vt audis: testimonium in te dicam. S. Res de compacto geritur, & in caput meum insidiæ componuntur: in me isthæc faba cuditur. Hoc cine placet? M. Tu vt te in fontem culpæque vacuum haberi postule? S. Remotior sum ab erratis, quàm vterque vestrum. V. Tu in istuc tanta confidentia? S. Verum est, veritas liberè proloquenda est. V. Commemorabimus igitur honoris tui causa, quas virtutes tuas, morumq; elegantias tempore sacrorum obseruauerimus. S. Vos, quod & quantum libuerit commemorate, nihil interdico sego de inde eadã quæ voluero. M. Centū testibus te coarguas, si negaueris. S. Titiuillitium, scarabæi umbra. Me solere in tēplis aut sacellis adesse ad sacrificiū festis ac nō festis diebus pro certo noui. V. Id nō damus vitio, laudi potius. S. Hoc etiã certo certius est, me adesse corpore ad omnē modestiã religionēq; composito, nec, vt vos, circūspicere. M. Hoc secus est: habes caput versatile, & curio

Se oculos huc illuc iactas. S. Semel, si fortè, nisi  
 hebdomade. V. Semel? in vna missa vicies. S.  
 Pro superi, quid est mentiri, si hoc non est. M.  
 Amabo, num hoc quoque inficiabere, te incu-  
 bare sedilibus, & vnum duntaxat genu hami fr-  
 gere: quales Iædei Christum per ludibrium,  
 adorantes pinguntur? hoc vtique refugeris, si  
 t. t. Angelorum myriadas præsentem astare faciẽ  
 ti cogitares. S. Si quando in durum & frigidum  
 lapidem incido, cum puluillo & chirothecis,  
 quas subiiciam more vestro, caream, tum cogor  
 mutare genua: præsertim vbi sacrum est longũ.  
 V. Quid longum? Post recitatum Euangelium  
 procumbitur primum in genua. S. At manemus  
 nixi genibus, donec sacerdos ad populum con-  
 uersus, sublata manu figuram crucis expresserit  
 benèque precatus eum dimiserit. M. Est vnus  
 horæ quarta pars totum illud interuallum. S.  
 Quando canitur musicè, est vnus horæ prope-  
 modum. C. M. Cur non pudet? fœminæ hoc fa-  
 ctitant. S. Viri tamẽ, quos me imitari honestius  
 est, hoc non factitant. Fœminarum mores nihil  
 moror. V. Vt inuitus genibus ille nititur? M.  
 Quæ sunt tuæ preces? S. Rosarium, quas tu nu-  
 perrimè, nescio quo auctore fretus, sphaerulas  
 precatórias appellabas: tam bellam latinam  
 stupefcente Nizolio. M. Tu, si displicet, ne vta-  
 re: interim exhibe rosarium. S. Nolo. V. Nul-  
 lum habet? quid tu caluum vellis? S. Mecum non  
 tuli, domi reliqui. An ego tanquam monachus

de cingulo suspensum circumferrem? V. Non hoc iubeo: sed vt alij, in sacculo sub tunica gestares. S. Elibello quoque precationibus operam dare conceditur: aut meditari quippiam de Passione Demini. M. Nunc aliquid dicis, Eia, de passione. Verūtamen insolēter ac rarò in manibus tuis libellum animaduerto. Virgilium quidem ab hinc triduum versabas: ac fortassis cum poeta Musam, aut Æolum cum Iunone orabas. V. Aspexi cum Æsopi fabellas legeret. S. Hoc demum est aspectu vagari, & foris oculatum, domi cæcum esse: ad alium cogere medicos, ipsum scatere vlceribus. M. Casu fit, vt quis interdum circumspectat, aliorumque ineptias intueatur. Num aliud est quo me accuses? V. Est S. Quid ergo est? V. Cum nomen I E S V aut Mariæ pronuntiatur, non inclinas genu, nisi rarissime. M. Hoc verè rusticanum, non urbanum est. S. Falsum est. V. Non falsum est, sed rusticanum est S. At ego dico illum & te falsum eloqui. An verò credis nihil notasse me, quod tibi iustè exprobrum? V. Mihin? S. Ita. T. Mihine? S. Tibi ergo. V. Profer fraudes. S. Per dies proximè elapsos quis sacerdoti sacris operanti ministravit? V. Ego. S. Tenes artem? V. Melius quam tu & Macarius. M. Caue sis, ne si malè seras, malè metas. V. Quod res est, affirmo. Nam tu nescis nolam, seu tintinabulum pulsare, cum hostia salutaris sublimè tollitur & ille cereos non didicit emungere. S. Sed heus, quando tu hesternò

die in simpulo, seu ampula aquam: pro vino por-  
 rexisti, lectæque epistola A M E N respondi-  
 sti, quis lapsus fuit? linguæ an memoriæ? V. Nō  
 recōrdor huius solœcisui. M. Tam cito obli-  
 tus? at illud puto, non effluxit, quod cum sacro-  
 sanctam hostiam supra verticem attollere sacer-  
 dos pararet, tu faciem non accenderis. Aspergil-  
 lum præterea, seu lustricum aspersorium incō-  
 modè præbes, aquiminium seu fitellam æneam  
 cum lustrali aqua malè sustines. Creabimus te  
 ædituum, si vis: magis enim idoneus esse nemo  
 potest, claret hoc. V. Irritavi crabrones. Quo  
 in ludo eruditi estis vos? M. Magister nos aptè  
 instituendos curauit: quid quaris? V. Si quod  
 pretium dedistis, facite vt restituatur: siquidem  
 imperitè videmini instituti. S. Mittamus hanc  
 litem, & pro se quisque det operam sacra pera-  
 gentibus scitè, ciuilemque in modum inservire;  
 quæque in audienda missa obseruanda sunt, ob-  
 seruet in posterum diligentius. Potè sine nobis  
 enumerare, Victorine, quæ sacerdoti ad litar-  
 giam opus sunt? V. Facillime. M. Arrigimus  
 aures. V. Vos fortassè aliquid à me vultis disce-  
 re. S. Non, sed te docere, vbi hæsitaueris; non,  
 quippe ista pridem scimus. V. Vt vt sit, non me-  
 pigebit documentum dare sedulitatis meæ: ta-  
 men ea conditione, vt quæ petiuero, vos etiam  
 reddatis mihi memoriter. M. Habebis id. V.  
 Hoc insuper oro, vt Ciceronē, Liuium, & alios  
 latinitatis architectos ab istis liminibus tanquā  
 profa

profanos arceatis: hoc est, ne me cogatis ex eorum arculis omnia sumere. Nam vbi res aliqua non fuit, quo pacto eius nomen extare potuit? Similitudo quædam rerum veterum ac nouarum & in hoc, & in aliis permultis generibus efficit, vt non pauca latinis vocibus afficere possimus. S. Quin die modo. V. Epomidem lineam appello, quod super humerale vulgus Clericorum. Sequitur alba, & subauditur vestis. Hæc est illa lintea, & prælonga ac laciniosa tunica, manicis laxissimis, quam sacrificaturus induit, illiusque vestis gerit imaginem, qua Christum Herodes contumeliosè, vt fatuum operuit. Cingulum flagella significat. Manipulus, id est fascia illa in sinistro brachio, funes, quibus ad columnam est alligatus. Stola laqueos collo eius iniectos, cum ab vno iudice ad alium raptaretur. Casula, purpuram, quam milites eidem in prætorio circumdederunt: quod vestimentum cruce à tergo ferè insignitur. Eia quid moneat, nimis est manifestum. S. Cogitandum subiicit sanctam illam ligneamque crucem, in qua tribus clauis affixa mundi salus pependit. Tu hæc mysteria in commentario aliquo legisti? V. Et legi, & explanationes istas audiui à Magistro puerulus, cum rudimenta fidei nobis interpretaretur. Locus vbi se vestiunt sacerdotes & sacra suppellex reponitur à quibusdam vestiarium, communiore voce sacrarium nominatur. Etiam dici poterunt templi penetralia, & adyta. Sacristiam qui nominat

nulla necessitate loquitur barbarè. M. Proce-  
 de ad reliqua. V. Opus est item calice, opus pa-  
 tena (sic enim maluerunt, cum tamen sit patina,  
 & rectè, quia ipsa hostia sanctissima cibus est, &  
 cibus dicitur; Caro mea verè est cibus.) Calici  
 quadratum, sed duratum, & linteum tegumen  
 imponitur, pallam vocant. Ad eum præterea &  
 os extergendum adest quasi sudariolum, quod  
 purificatorium dicunt. Operitur calix velo se-  
 rin byssico, aut aliqui non abiecto. Expandi-  
 tur item super aram corporale, linteum filo sub-  
 tilissimo: quo admonemur illius mundæ fido-  
 nis, qua corpus Domini exanime inuolutum  
 scribitur. Id in theca reponitur. Longus sim ni-  
 mium, si singula declarem quid velint. S. Non  
 requirimus. V. Adhuc opus est hostia, è simila  
 gine seu triticea farina: opus est aqua, vino, li-  
 bro missarum, cui missale nomen fecerunt. Ille,  
 quosque Pontificalia, & Agendas vocant, Ro-  
 mano vocabulo Rituales libri nominabuntur,  
 ut omnes sacræ cæremoniæ, ritus. Vasculum, vn-  
 de populo Eucharista promitur, ciborium, à ge-  
 nere poculi capacissimo, cui simile est. Id aurea  
 plerumque, seu b<sup>o</sup> bycina pallula, siue chla-  
 mydula contegitur. Quid amplius à me deside-  
 ratis? S. Præstitisti quod voluimus, & placuisti.  
 V. Dictu Sebastianæ ex pactis & conuentis de  
 ara, seu altari. S. In altari, cui palla prætendi-  
 tur, artificio quodam plerumq; elaborata, sunt  
 candelabra stan<sup>ca</sup>, lignea, alabastrina, ænea, ar-  
 gente

gentea, inaurata, quibus infiguntur cerei flauis, candidi. Item imagines, signa, statuae, icones, sigillaria, simulacra (quamquam hoc verbi, ut sculpsile, sacrae Scripturae & Ecclesiastici doctorum ad gentium idola semper transferunt: ut etiam fannum & delubrum potius de Ethnicis, quam de Christianis templis ut usurpatur, mos vetus obtinuit.) Est autem à simulando ductum quod simulet, & imitetur veritatem corporum.

M. Quod volunt sigillaria? S. Imagunculae, statuaeque cubitales aut palmares sunt, fusili opere ex metallo, seu tomento & serico compositae. Suppedaneum quod statuarum pedibus subiectum est, & basis ipsa. Tegitur item ara velis tribus. Qui autem pannus lineus in medio, vnius cubiti & semis latus, duorum longus interdum extenditur, substratorium à substernendo dicitur. Adhaec in altaribus Sanctorum ossa, cineres, quaeque nomine reliquiarum intelliguntur, in thecis & vasculis proponi solent. Flores etiam in ampullis testaceis, cupreis, & argenteis, ad ornatum. Nihil me arbitror praetermississe.

M. Quid à me; V. Caetera quae ad sacerdotem pertinent. M. Liber sacerdotis, unde preces horarias facit, appellatur breuiarium, ducta voce à iureconsultis, apud quos breuieriae rationes dicuntur, in breuiarium, hoc est, in epitomen & compendium contractae ac prouide breuiarium est epitome. Et quid hic aliud est, nisi sacrorum bibliorum quaedam epitome; Vtitur hac voce

Suetonius in Augusto, pro sumuario, siue compendio. Fecit & breuiarium, inquit, totius imperij, quantum militum sub signis vbique esset, quantum pecuniae in aëario & fisco, & vestigalium residuis. Item Plin. lib. 18. Verum vt pariter omnis culturae breuiarium peragatur. Lintheus ille amictus & candidus, seu amiculum album rugosum siue striatum, ineptè superpelliceum appellatur: nullae sunt ibi pelles. Sacerdotes eo indutos quidam candidos, albatos & lintheatos, nuncupauerunt. Deinde sacerdotes quidam sunt Curiones (barbaris Curati) siue Parochi: templum & cœtus hominum eorum auctoritati subiectus parochia, seu parœcia. Ordines Clericorum, per quos ad sacerdotium aſcenditur sunt Ostiariorum, Exorcistarum, Lectorum, Acoluthorum, Hypodiaconorum, Diaconorum. Sacerdotis est sacra facere, thus adolere. Arcula in qua thura seruantur a terra: vas vnde fit odorata suffitio, thuribulum nomen habet. Est item officij eius Eucharistiam distribuere, confessiones excipere, moribundos sacro oleo perungere, baptismo seu sacro fonte infantes aspergere, matrimonio nubentes coniungere. Initiatio, seu sacrorum ordinum collatio, chrismati vnctio Episcopi ac Suffraganei est, quem initiato rem licebit appelletis. Nihil restat.

S. Omnes doctè.

## DIALOGVS LXX.

*Piacularis confessio.*

SYMMACHVS, VALERIVS.

SYMMACHVS. Præter solitum iam per dies aliquot, in attentissima quadam cura defixum te, ac nescio quid tanquam super Aristotelis entelechia, aut Platonicis numeris meditantem, interdum altos gemitus cientem, & pectus pugno bis tæque continenter plangentem obseruo: nec quæ causa sit dispicere queo. Si quid mala tibi obiectum est manu, si quis te casus affixit, quod vereor, mæcèy the nòo, hina idomè ampho Perinde id ego dolè terferam atq; tu. Nihil enim potest mihi abs te seiunctum esse, à quo omnia summa in te studia, officiaque expectare debes. Amicus cum: amicis secunda & aduersa sunt communia. V. Agnosco & recognosco quantam adhuc in me voluntatem contuleris. Caterum nulla in me fortuna grauior in eu. fuit: quomobrem nihil est cur sollicitere. S. Quid ergo est? V. Nihil est. S. Qui hoc nihil est? Per amicitiam & per amorem obsecro, ne occultū habeas: non effluet, ne illuc time V. Fiat, geratur mortibi. Totius anteaetæ vitæ noxas, ab yltima pueritia ducto initio in memoriam mihi-

mihimet redigo: eas in libellum confero, vt sacerdoti expona: qui me deinde artissimis vinculis, in quæ me opte nutu, heu miser, me indui, leuatum dimittat. S. Nunc demum clarè intelligo, quid suspiria, quid perpetuum pæne silentium sibi voluerint. Nam quod tu opus efficiendum suscepisti, mente omni alia cogitatione soluta, & cum silentio efficiendum est. Præterea religiosus animus sine acri doloris morsu sua piacula nūquam recolit. V. Probè, & ex tribus pœnitentiæ partibus prima & potissima est, quæ contritio apud Theologos. O si commissa me cruciarent impèsius: ita exploratio veniæ spes nasceretur. S. Quem ordinem, quam viam in delictis tuis recognoscendis sequeris? V. Perdit facile est, cum tam multa, tam diuersa, tam longo repetita principio recordari velis, id commodè præstare, nisi aliquem indicem inspicias, qui te moneat, in quo consciētiam excutere, & vbi in temetipsum debeas inquirere. Est igitur mihi liber per commodus, quo peccata in certos ordines dispertiuntur, doceturque quibus modis & rationibus in Deum, quibus in seipsum, quibus in alium committi possit: idque dictis, cogitatis, & factis. Eum vbi videris. probabis: exhibere n si esset sub manu. S. Emam cōtinuò, quātumlibet carum, si in taberna libraria inuenero. V. Ecquid tu aliquando istam generalem exomologesin obiisti? S. Et quidem cum admirabili fructu animi placatissimi: postquam videlicet

Hic Gabriel Bentus Oratio de peccatis

tet domum meam vna opera totā perpurgavi,  
 omnēque inde sordes abrafi atque abstuli. V.  
 Quis tibi confitenti aures dedit? S. Presbyter se  
 ne etate reuerenda, egregiè pius, & vt ferebatur,  
 doctissimus iuxta ac prudentissimus: is me ig-  
 norantem erudiebat, suavi consolatione mœstū  
 permulcebat: & quo pacto à vitijs flagitijsq; ca-  
 uerem edocebat. V. Egit medicum, morbum sa-  
 nauit, & antidota præscripsit. S. Sic agere par  
 est eos, qui animarum nostrarum medici nomi-  
 nantur. V. Aliàs quoties per annum expiaris?  
 S. Quinquies. V. Nimirum. S. Ad Pascha, heb-  
 domade scilicet maiore (quo tempore Catholi-  
 ci omnes Ecclesiæ iussu id faciunt) ad Penteco-  
 sten: ad diem quo assumptæ in cœlum Mariæ  
 Virginis anniuersaria gratulatio celebratur, ad  
 Kalend. Nouembres, qui dies omnibus cœliti-  
 bus dicatus est. Postremò ad ferias natales Iesu  
 Christi Seruatoris nōstri. Veruntamen cogito  
 posthac in singulos menses accusare me apud  
 Presbyterum: quod vt possim plenius ac sine-  
 rius, sub noctem quotidie cogitationes, sermo-  
 nes & actiones meas quàm diligentissimè dis-  
 curio. Quæ errata reperio, in palimpsestum in-  
 scribo. Mirum dictu, quàm salubris medicina  
 sit contra peccandi assiduitatem crebra accu-  
 rāque confessio. V. Ostende. S. Qui fieri potest  
 vt aliquem sepius iisdem se commaculare pia-  
 culis delectet; quæ frequēter, ac proinde etiam  
 maiore cum rubore pudorēq; apud virum gra-  
 uem,

uem, suæ conscientie iudicem ac moderatorem  
 enuntiat? Item, quoniam detestamur & odimus  
 peccata, cum ea confessari sumus, (alioqui con-  
 fessio inanis ac nulla sit) qui crebro ea sacerdoti  
 aperit, eorum execratorum consuetudinem  
 adipiscitur. Quæ autem execrari solemus, ea  
 vix aliquando perpetrare audemus. Ipsa in su-  
 per Dei gratia (munus in primis optabile & am-  
 plettendum, quo ille hominem per sacramen-  
 torum viurpationem dignatur) vires ministrat  
 ad contemnendas repellendâsque omnium sce-  
 lerum labe: stabiliorque & placidior semper  
 animi pax & spes in Deo collocata absterret non  
 à pravis actibus, quos molestissimæ perturba-  
 tiones, stimuli & agridines comitantur, quibus  
 mens diu noctuque compungitur, dilaceratur  
 & exeditur: vndeque amplius timetur Deus  
 ut truculentissimus iudex, quàm diligitur ut mi-  
 tissimus pater. Nec verò qui rarissimè confite-  
 tur, & agrè semel toto anno, tam videntur es-  
 petere cœli gaudia, quàm fugere inferorum ter-  
 menta: quod illiberale parumque Christianum  
 est. V. Te auspiciem sequar, & ob has aliâsq;  
 causas, quas me audire & legere memini, sacra-  
 mentalis meas apud confessarium sapientius deponam.

Nam vacuum per iter ingredi quàm cum  
 onere, multò est commodius,  
 multoque iucundius. S.

Centio.

DIA

## DIALOGVS LXXI.

*Sacratissima Eucharistia.*

CANDIDVS, PATRICIVS.

**C**ANDIDVS. Quandoquidem hac luce à cœlesti conuiuatore cœlestibus atque immortalibus epulis inter alios complures, viros, fœminas, adolēcentes, pueros, pauperes, diuites, ad aram honorificentissime accepti sumus, agendum, de hoc tam nobili conuiuio sermonem instituamus. hoc quippe maiori nobis emolumento futurum est, quam vicissim ludricas historias, & aniles fabulas memorare. P. Decentissime hoc abs te argumenti ad colloquendum proponitur. Nam sicut qui sancti epulis recedunt, ipsum in primis epuli dominum ab humanitate, liberalitate, magnificentiaque commendant, & ciborum delicatissimorum, vinorumque varietatem ac præstantiam dilaudant: ita nos conuenit hunc generosissimum potum, hanc diuinam escam immensis prædicare laudibus: quam non homo aliquis, non Princeps, non Rex, non Imperator pretio ingenti cōquisitam apposuit, sed Deus ille omnium opifex: nec uti quōdam in desertis locis populo Israelitico manna, sed semetipsum quantus quantus est, corpus & sanguis.

guinem, animam ac diuinitatem suam uescendâ  
 coelitus largitus est. C. Quo studio, quibus labo-  
 ribus, quo impendio hoc ferculum, has cupen-  
 dias querere debuerunt, qui in medio mari lin-  
 guas piscatorum esitabant? P. O Effusionem, ô  
 luxum: haud enim dixero, ô voluptatem, qui  
 existimem vitulorum aut agnorum, aut saltem  
 perdicum linguas ad gustatum perinde suaves  
 esse, ut illius peregrinæ volucris. C. Ignorabant  
 fatui legitimum pecuniarum usum. Ideo sæpè  
 illas in res parui, aut nullius momenti vel super-  
 bia tumefacti, vel libidine exagitati, sine causa,  
 sine modo luxuriosissimè profundebant. O ter-  
 & amplius felicis Christianos, quos eorum so-  
 lus verusque Deus in tam excelsum honoris &  
 amplitudinis culmen extulit. Si tot mûdos ædi-  
 ficasset, & vnumquemque nostrum vnius mun-  
 di rectorem possessoremque constituisset, quid  
 hoc fuisset comparatione eiusdem sacratissimi  
 numinis? Aut quot millenis mundorum myria-  
 dibus ille non est excellentior? Attamen beatio-  
 res illi, qui mête pura, & casto corpore has epu-  
 las ineunt, & non aliter, quàm principem poten-  
 tissimum hospitio accepturi, domicilium suum  
 exornant, parietes aulæ, id est, virtutibus con-  
 uestiunt. P. An non illos quoque beatos nume-  
 ras, qui non raro huic diuinæ mensæ accubunt?  
 C. Beatissimos: fieri siquidem nulla ratione po-  
 test, quo tam admirabilis hospes, tātusque Rex  
 sæpe diuertit, quin ibidem plurima & expressa  
 dulce:

dulce dinis ac beneficentiæ suæ vestigia relin-  
 quat. P. Cur ergo tam multi à frequentanda sy-  
 naxi refugiunt? C. Nonnulli id ex magna qua-  
 dam animi summissione modestiaque & supre-  
 mæ illius maiestatis reuerentiâ faciunt, se que-  
 tam inexplicabili beneficio indignissimos ex  
 animo arbitrantur: neque secus de se, quàm de  
 pannosis & esurientibus mendiculis cogitant,  
 quibus satis benignè fit, si frustulum cibarij pa-  
 nis ante fores expectantibus ac rogitantibus  
 detur: cœnitare cū Regibus, etiam inuitati, quā-  
 do autem inuitarentur? nequaquam volent. At  
 que hi quidem laudandi à mandique sunt, cum  
 semetipsos eousque despiciunt ac deprimunt.  
 Verum proposito ingenti Eucharistiæ fructu &  
 utilitate, ad crebriorem eius vsum adducendi at  
 que excitandi essent. Quidam ob timorem hac  
 frequentatione abstinēt, vide obsecro qualem:  
 ne salutem dicere suis cupiditatibus, ne ad mo-  
 res vitamque cōtinentem se dare cogantur. Hoc  
 cine Christianum? hoc cine Catholicum? P. Nec  
 hominis quidem, vt homo est, nolle scilicet pro-  
 borem fieri: sed ad voluptates inhonestas  
 tanquam ad Sirenum scopulos adhærescere, ac  
 lutum reputare rosas. C. Ipsa magnitudo multi-  
 tudoque commodorum, quæ cum hisce dapi-  
 bus tribuuntur, excitare torpentes animos ad  
 crebriorem earundē vsum deberet. Hinc enim  
 ceuleones quidam contra diabolū fortes ac robu-  
 sti efficiuntur. Cū aduersis fortunæ flatibus iacta

mur, hinc solatium: cum rebus turbidis quocumque in genere vexamur fatigamurque, hinc tolerantiam acquirimus, ne infracti abiectique concidamus. Quis verò explicet illam intelligentie lucem, illud fidei, spei, charitatis virtutumque omnium incrementum, illum foelicissimam animi statum, quem iteratus identidem iste pastus nobis conciliat? Quod si indignè manducanti graas supplicium est constitutum, æquum est vicissim, dignè manducanti singulare præmiū esse decretum, vitam in cælo perennem. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Non te latet, cuius ex ore hæc profecta sit oratio. P. O incomprehensam bonitatem, o nimis effusum amorem domini mei erga me seruulum suum longe vilissimum. Quis pastorum aliquando ouibus sanguinem suum bibendum dare cogitauit? etiam multæ matres cum pepererunt, proles suas non ipsæ de fontibus lactis sui, quibus ad nutrimenta nascentis turgentibus mammis foecundum pectus exuberat, vt Lactantius ait libro de opificio Dei, alere atque educare dignantur: sed aliis mulieribus eas nutriendas committunt. Ast Dei filius, suo ipsius corpore, suo pretioso sanguine omnes nos, & vnumquemque vel in singulos dies pascere paratus est. Quàm longo interuallo matrum alioqui ardentissimam charitatem superauit? Pro quam pudicos oportet esse oculos,

los, qui hunc panem de cœlo descendentem, & vitam mundo impertientem aspiciunt? quàm innocuas manus, quæ eundem contrectant? quàm parum ois, per quod ingreditur? quàm sanctum pectus in quo recipitur? C. Catholici nos tantis bonis fruamur, dum è sterquilinio effossi homines litigant dicentes: quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Illi interpretationes verborum Christi nouas inauditasque producant, quibus comminiscendis tempus, edendis chartæ, emendis pecuniæ, legendis credendisq; animæ perduntur. P. Occinamus licet illud Christi: finite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Piè autem & sapienter etiam hoc Ecclesia sanxit, vt diuinissima hostia auro & gemmis inclusa, quotannis per vias & regiones vrbis à sacerdote portaretur sub umbella, habereturque illi honor qui posset amplissimus. Nèmpè videmus templa, domos, compita ornari virentibus arboribus, spargi flores, sterni gramina, intendi fertis parietes. Præcedunt psallentium puerorum & sacerdotum chori: à tergo populus ac principes ciuitatum faculas gestantes consequuntur: tubarum clangores audiuntur: tormenta bellica tonitruorum fragores æmulantia explodantur: quibus rebus dominam laudare iussit, & ipse laudauit propheta magnus Rex Dauid. C. Hunc triumphum contemplari malo equidem, quàm Romanum aliquem Cæsaris aut Pompeij.

Est verò mihi in more carmina in S. Eucharistiam condere in annos singulos. Seruo collecta in scrinio, vt cum perpoliuero, publicum accipiant, quod me amici hortantur. P. Idem ego te hortor: quæso ne premas diutius: nam tua vena, quod cõperi, probatur multis. Dic porrò, cum toties scribas, vnumne semper argumentũ persequeris? C. Minimè. P. Quæ igitur? C. Aliquãdo egi de præsentia Christi: alias de præparatione ad sumendã synaxin: alias de dignitate huius Sacramenti: aliquando de fructibus sacrae communionis. Etiã ad eandem quàm creberrimè repetendã cohortatus sum. Exaggeraui item Dei munificentiam, & precatiunculas quasdam sapphicis iambicisq; dimetris contexui. Recens PAN GELINCV A hymnũ paraphrasticus explicau i hexametris. Quid multis moror? pelagus est, tantũ supeditat materiae. P. Et quia pelagus, maturè littus legamus, ne in altũ longius prouecti, redire in portũ non queamus. Crede autẽ mihi, mi Cãdide, ex tua oratione haud vulgarẽ voluptatẽ me percepisse. C. Ego ex tua nihilo minorẽ, mi Patrici: id tibi persuadeas velim.

## DIALOGVS LXXII.

*ieiunia.*

PASCHASIVS, ALPHONSVS,  
HONORATVS.

PASCHASIVS. Vtrũ, para tò paschin, id est, à patiendo, an à Pascha ( quæ vox à phase hebræo desineta, proditur, transitumque

que declarat, & tempus insuper maximis, gaudioque effertissimis opimitatibus refertissimū, ac prorsus aureum, quo memoria triumphū illius omnium post homines natos iustissimi splendoris que per orbem vniuersum recollitur ac celebratur) ab vtro, inquam, horum nomen mihi dictum sit, haud pro certo affirmem. Hoc vero cineralium-ieiuniorum tempore, quo inedia macieque suprema confectus sum propemodum, vti videtis, volo me à pachin appellatum Paschasium: quandoquidem multa & dira patior: quo pacto res nomini suo, & nomen rei quadrabit. Simul esuriales istæ feriæ præterierint, (quæ vtinam postremum iam venissent) tum vero à paschalibus mensis Paschasium, seu Paschalem me cognominabitis. A. Huic, Honorate, haleca, fassamenta, fabæ, pisa, lupini, cicera, lentes, polenta, ficus aridæ, iuglandes, ptisanæ, aliaque huiusmodi sacrorum dierum propria obsonia vilescere iam ac sordere cœperunt. Animus eius in bobus ac vitulis totus est. H. Fortiter reliquum Quadragesimæ perferamas Paschasi & de ieiunationibus omnia præclara sentiamus. P. Septuaginta propemodum dies per annum cibo nos priuare cogimur: an hoc parum est? A. Qui tam ad vnguem cognouisti hunc numerum? P. Fasti hoc loquuntur, fastos consulite, fastis credo. H. Reuera putauit dies esse pauciores: & tibi quoque tam multi non videbuntur, si non repugnanter feceris, vt ven-

tri bellum indicas, & coena careas. P. Philippum & Iacobum Apostolos laudo, qui sua causa inedia macerari neminem voluerunt. H. Per dies plus octoginta ieiunius corpus affligunt monachi. P. Per me quidem cuius ieiunare licet, bis quotidie, si velit: & ut nescio quod genus animatis, aere procibo uti. Quam rugiat venter meus et identer exterior. A. Scin tu qui ieiunia oderint? si forte ad castra ipsorum deficere cogitares. P. Quae tu mihi castra? non obtusa a deo gestamus pectora, non ita deliramus, ut hominum qui de consilio, de ratione, de mente exierunt perfidiosissimam institutum approbemus.

*Et mihi vel tellus optem praeisima dehiscat,*

*Aut pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras.*

H. Quid ergo sic loqueris, ut si cupias ultra Tannaim relegari ieiunia? P. Obsecro, cur ista ex te audio? equidem certe cupio & volo ieiunare: nec imperium Ecclesiae aspernor: sed in me tamen dominari, & esurie me prope euectum quindicam, hoc saltem non vetabitis. A. Amplificatione tanta nihil est opus: necdum adipem funditus perdidisti. P. Si potestas fieret, inspectantibus vobis ederem ac biberem: & ambabus expletis malis vorarem, quo me à famis tyrannide absoluere. Quid autem nouum ac singulare, nos, qui animo & corpore constamus de corpore alendo sollicitos esse? atqui ego nondum tertium & viceimum aetatis annum attingo: non

non multum abiit temporis, cum inter coenitantes stipendia facere desij: in hac militia tyrosum. A. Turpe tamen existimo, tam sanctum & virtutis plenum opus necessitate potius compulsum, quam voluntate libera indutum exequi. P. Qui possim alacriter? H. Et si tu ipse id non ignoras, dicam tamen. P. Audio. H. Si dignitatem utilitatemque ieiunii perpenderit. P. Differite pauca de utroque, si lubet. Quamuis enim quaedam me non fugiant, nihilominus ex ore vestro eadem, & alia accipere delectabit. Nec aliquando hoc officium apud me inter moriturum putetis. A. Ieiunavit Christus Dei Filius, cuius actiones omnes in maxima laude ponuntur. Ieiunarunt Apostoli, de quibus Propheta: constitues eos principes super omnem terram. Quid deinde in amborum testamentorum libris toties predicatur, quoties ieiunium? Quid autem virtute pulchrius, quid speciosius? P. Per bene, & quam breuissimè de dignitate differuisti. Restat ut de utilitatibus aliquid afferatur. A. Hæ sunt tuæ partes Honorate. H. Poteras hoc quoque largiri Paschasio. Vtrum ne videar laborem defugere, & quia non tibi tantum modo Paschasi, sed nobis quoque ista dicuntur, incipiam. Vix quisquam verbis expresserit, ad coercendas animi cupiditates, comprimendaque flagitia quantoperè cōducatur ieiuniū. Qui sitit & esurit, haud facile libidinibus se in seruitutē

tradet. Aberit ab eo somnolētia, aberit sensuum & mentis hebetudo, quam cibus & potio frequens atque nimia creant. Difficile autem est in vtroque seruire modum. Cumque propter necessitatem, ad vires scilicet reficiendas, ad cibū potionemque capiendam accedamus, sæpe propter solam voluptatem ultra fines naturæ progredimur, & propter eandem ægrè desistimus. Res magnæ à Deo per ieiunium sunt impetratæ, cui merces ampla est constituta. Etiam ipsis conuiujs ieiunium dat gratiam, inquit D. Ambrosius. Dulciores post famem epulæ fiunt, quæ assiduitate fastidio sunt, & diuturna continuatione vilescunt, Condimentum cibi ieiunium est. Quanto avidior appetenti, tanto esca iucundior. Etiamne audire vis, quæ illustrissimus ille Catholicæ fidei propugnator Athanasius scribat? P. Certè audiam. H. Ieiunium morbos sanat, destillationes exsiccat, dæmones fugat, prauas cogitationes repellit, mentem clariorem reddit, cor mundum efficit, corpus sanctificat, denique ad thronum Dei hominem sistit, Ieiunium angelorum cibus est: & qui eo utitur, ordinis angelici censendus est. Plura possem, ast intelligenti pauca sufficiunt. P. Vestræ humanitati ago gratias, quæ & me ad perfectendam inedia animo-fiolem effectit.

## DIALOGVS LXXIII.

*Religiosi, seu vita monastica.*

INNOCENTIVS, RICARDVS.

**I**NNOCENTIVS. Improuisum plane, & inexpectatum, ac lugubre tibi accidet, mi Richarde, de quo te celare diutius non fert tua in me incredibilis beneuolentia, meaque item in te singularis. R. Percellunt me istae voces, & timore cumulant mentem meam. Quid rei est? I. Cum primum crastina caelo Puniceis inuectarotis aurora rubebit, separabimur. R. Quid? separabimur? I. Ita inquam, amplius simul non uiuemus, nec tu me posthac uisurus R. O uerbum omni felle amarum. Tanquam spiculo transfixisti cor meum. Nos seiu gemur? Irrupta copula nostra dirrumpetur? quo modo tandem mi Innocenti? I. Quia discedam ab te. R. Esto, sed reuersurus. I. Neutiquam. R. Quo discedes? I. Extra mundum. R. Aufer iocum. In illud infinitum ipane fortassis, quod philosophos quosdam extra caelum somniasse didici a philosophis. I. Non abibo extra hunc mundum, qui ex elementis & orbibus caelestibus coagmentatus est: in quo sunt beati, & homines R. Estne alius mundus? nisi forte Democriti mundos intelligis, quem Firmianus Lactantius Epicu

ro stultitiæ hæreditatem reliquisse scribit. Ille quidem ex indiuiduorum, & insecabilium corpusculorum, quos atomos Græci vocant, fortuita concursione mundos, infinitos fabricabatur. I. Extra illum mundum, quo de Saluator sæpè, & Apostoli, & sancti viri. Mundus gaudebit, vos autem contristabimini. Et mundus eum nõ cognouit. Filioli, nolite diligere mundum, nec ea quæ in mundo sunt. Quid autem est aliud in mundo, quàm, vt idem ait, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ? R. Iam prespicio quò abiturus sis. In religiosorum aliquod domicilium te includere vis & eorum instituta profiteri: aut forsitan etiam omnino capite raso cucullum induere. I. Stat sententia. R. Quam ob rem istuc? I. Roga Benedictum, Franciscum, Dominicum. Interrogat tot religiosorũ millia, quare propinquos, amicos, omniaque vitæ huius blandimenta deseruerint, despexerint, conculcarint. Nimirum vt pericula plurima & grauissima effugerent, & Christo, quem medullitus amabant, expeditius perfectiusque seruirent, cumulatorẽque in cœlo fœlicitatem adipiscerentur. Hic est thesaurus in agro absconditus, quem qui inuenit vendat vniuersa quæ habet, etiamsi regnahabit, & emat illum. Crede mihi, Richarde, aut nulli, aut religiosi viri gustant & vident, quoniam sua vis est domini: cui adhærent, & cum eo spiritus vnus efficiuntur. Illi vitam ducunt macularum

rū puriorem, quam qui sæculi fluctibus adhuc inuoluuntur, nec ad istū beatissimū & securissimum portū appulsi sunt. Vbi inter tot tamq; manifestas peccandi occasiones difficilimū est non fieri malū: quāto difficilius euadere insigniter bonum? Si in delicta quandoq; inciderint, quis enim non peccat? ea sunt leuia, & propter consuetudinem rectè factorū cito ex iis sese emergunt. Cumq; illorum studiū sit meditari in lege dæmini die ac nocte, & libros sacros ac pios lectitare perpetuo, peccandi vias, & insidias diaboli non possunt ignorare. Itaq; ea cauent magis, nec se irretiri ab eo sinunt. Cœlestibus porro solatis quoties putamus eos suauissimè perfrui? quæ omnibus corporum deliciis, & quibuscūq; mundi voluptatibus infinitis partibus præstāt. Iam cū moriendū est, illis omnis mora longa videtur, dū, quæ tādū totis medulis desiderarant, quem ipsorū antæ dies atq; noctes sitierunt, egressi è luteis illis tabernaculis aspiciant. Quælia verò præmia eos accipere existimamus? quātis remunerandos gaudiis, qui sese etiam concessis voluptatibus propter Christū priuauerūt qui Deo multis annis seruiuerunt cū omni humilitate, in ieiuniis multis, in precibus assiduis, in vigiliis plurimis, in afflictionibus corporū. R. Cū soleres arcana tua mihi cōmittere, mirari ne queo satis, cur hoc vnū tacueris. I. Sciebam tibi sermonē atq; nuntiū istū peracerbū fore, ideo tibi cruciatum parare nolui. R. Pars de corpore meo

meo anelli videtur tuo discessu. Nullam homi-  
 nem æquè ardētī studio, vt te, complexus sum.  
 Quin de annis meis ad teos libèter addiderim,  
 si possim, propter multas ingenij tui suauitates,  
 & propter singulares tuas eximiāsq; virtutes,  
 quas nouo isto, & omnibus laudibus efferendo  
 vitæ genere exaggerabis atque cōcludes. Quid  
 parentes? I. Etsi grauatè, quia vnicus, tamen ob-  
 testationibus expugnati, Deo me concesserūt:  
 sperantes sibi eundem ob hoc veluti holocau-  
 stum beneuolum atque propitium fore R. Qui  
 poteris, mi charissime Innocenti, tolerare in-  
 diam, cilicia, flagella, peruigilationes nocturnas  
 & impetus diaboli? Qui poteris in teipsum tam  
 durus ac seuerus existere? tam acriter tibi met  
 imperare adolescens prognatus genere sum-  
 mo, summis diuitijs, corpore haud firmissimo?  
 Nunquid non hæc tibi aliquem in pectus me-  
 tum iniiciunt? I. Sequor consilium sapientis: ac-  
 cessurus ad seruitutem Dei, sto in timore, & præ-  
 parauī ac præparo animam meam ad tentatio-  
 nem. Spero etiam vehemēter, Deum mihi sup-  
 petias laturum, perfecturumque in me opus bo-  
 num quod cœpit: & cum tentatione facturum  
 esse prouentum, vt possim sustinere. Per multū  
 quoq; addunt animi exempla tot millium, qui  
 hac via cœlum petierunt, cum ad finem perle-  
 uerassent: nec virorum modò, sed mulierū quo-  
 que R. Haud aliter afficior, quàm si parentem  
 ante oculos emori viderem. Vt angor? vt affli-  
 gor

Conf. & oratio vobis iuu. & P. P.

gor desiderio tui? heu heu, lacrimæ profiliunt.  
 I. Ne opplora. Si nihil aliud, dies leniet atque  
 molliet ægrotudinem tuam. Quin mecum Chri-  
 sto militatum vadis? R. Militatum? Ah, nimis  
 alienus sum ab hoc spiritu: istis ego flammis nõ  
 dum caleſco, nedum vt ardeam. Præterea paren-  
 tes mei tuis pietate multum cedunt. Si vel mini-  
 mã ſignificationem darẽ vitæ illius amplecten-  
 dæ, necem credo ſibiſſis afferrem. I. Deus tibi  
 voluntatẽ eandem mecum largiri, & parentes  
 tuos ſteſtere atque emollire poteſt. R. Poteſt.  
 I. En libros meos tibi dono omnes, & hanc pu-  
 gionem, iſtũ enſem, hanc, qua curas meas ſola-  
 bar, teſtudinem: cætera domum portanda cura-  
 bis R. Obruis me donis immerentem. Deus te  
 in ſaã tutelã recipiat amantiſſime Innocẽti. Ne  
 fueris immemor mei in tuis precationibus.  
 Hoc te vehementer etiã atque etiã rogatum vo-  
 lo. I. Ne iſtuc roges: faciam vt tui meminerim.  
 R. Illa quæ mandati curabuntur fideliter. I. Cõ-  
 plectamur mutuũ. R. Vale & ſalue.

## DIALOGVS LXXIII.

*Templorum constructio & ornatus.*

*IVSTVS, ALVERTVS. Ludimagiſtri.*

**I**VSTVS. Evoluere ſuperioribus diebus  
 aggreſſus eram illud, quo nullam Latio cla-  
 rius extat opus diuinam dico, omniumque

gen-

cessarium. Ea nostro hoc auro calamitosissim  
 plurimis in locis hominū amentia & scelere pe  
 ditissimorum furor aut demolitus est, vt pariet  
 nā tantum ixtent, aut ad profanos vsus accom  
 modauit, ablatis donariis, anathematis, vasis, ve  
 stibus, statuis aureis, argenteis; campanisq; con  
 flatis, sacra pecunia decocta, aut in ararium i ed  
 cta, sacerdotibus & monachis alicubi contruci  
 datis, virginibus Christo dicatis per sacrilegam  
 libidinem turpissimē, flagitiosissimē que cont  
 minatis. I. Sunt ista verissima quæ dicis. At quā  
 execrandum ac detestabile, ex illo argumento  
 in conuiuiis luxuriosis vsque ad ebrietatem &  
 vomitum perpotari vinum, quo toties sacratissi  
 mus Christi sanguis exceptus est? substerniq;  
 cœctis quadrupedum, anium, pisciumque carni  
 bus illas patinas, quibus tam sæpe cœlestis im  
 maculatusque ille agnus recubuit? A. Verendū  
 sanē, ne istis templorum, monumentorumque  
 prædonibus contingat aliquando, quod in libri  
 Machabæorum Heliodoro contigisse proditū  
 est, quem angeli duo Hierosolymitanum tem  
 plam diripientem, flagris leuissimē & largissimē  
 cooperauerunt. I. Memor sum, quo capite li  
 bri secundi id scriptum sit. A. Interrogemus au  
 tem istos Dionysios, Hymnos & Psalmos dies  
 noctēsq; cantare, victimas incruentas immola  
 re, homines peccatorū noxis exsoluere, aqua sa  
 luis lauare infantes & catechumēnos, cōcionari  
 reliquasq; Ecclesiasticas fūctiones obire, vbi cō  
 modius

mato vende vānū se de gūmē dē  
 hēc vānū cōmō

gentium linguis celebratam Æneidem. Cùm autem legendo primo libro ad locum peruenissem, quo pater ille Romanæ poeseos, & latinorum poetarum Apollo, de Didone Carthaginensium regina hunc in modum canit.

*Hic templum Iunoni ingens Sidonia Dido  
Condebat, donis opulentum ac numine Diva:  
Ærea cui gradibus surgebant limina, nexæque  
Ære trabes, foribus cardo studebas ahenis.*

egomet cōtinuò mecum: hem, isti mortales idolatriæ teterrima caligine mersi, superstitionū que tenebris altissimis obsessi ac sepulti, diis deabusque suis commentitis, seu dæmonibus potius, sumptu & magnificentia incredibili, operosa & immania templa ex ædificabant, ubi eosdē stas sacris cæremoniisque venerarentur, cur minus Christianorum populus, alumnus veritatis, & beatæ illius, ac magnæ ciuitatis hæres institutus, vero vniue Deo suo templa passim condant, cum idipsi, gratissimum esse sacrarum voluminum testetur auctoritas, & nos idem doceat regem sapientissimus Salomon, cuius templum cui non fando auditum est? A. Maiores nostri, mortales religiosissimi, Principes itē, Reges & Imperatores Catholici, vt multas passim ædes sacras construxerunt quam splendidissime, ornamentisque preciosissimis affatim locupletarunt? plenæ sunt historix, plena exemplorum antiquitas: vt probationes in mediū afferre nihil sit aliud, quam laborem capessere non necessaria-

## DIALOGVS LXXIII.

modius fieri illa possant, quàm in sacris edibus? Porro si templum veluti aula est summi Regis, cur eius aulici ministrique sacerdotes sumptuo, se exornati non succedant, dum ei quasi in caelo quodam terrestri terrestres angeli inferuiunt atque in eius negotijs occupantur? I. Cur vasa auro graua, gemmisque distincta non sint? cur organa concentusque musici non perstrepant? cur diebus festis tanquam Regis Reginaeque, Mariæ inquam Virginis ac Dei matris, humanique generis deprecatrix in conspectum collocationemque ventari, cultum nitidiorum Catholicum non sumant? cur non vestes, pecuniam, aurum, argentum aliisque ad templi vsus liberalissimè donent, quæ quidem illis eorumque nepotibus honori sempiterno, & apud Deum, qui ea prius ipsis donauit, & cuius est orbis terræ, & plenitudo eius, magno merito sint? Cur demum pulcherrima ornatissimaque sacella non condant, quibus suam pietatem, & erga Deum diuosque beneficam voluntatem declarèt? A. Domos quidam suas ædificant magno, Dei domum malè materiata ac ruinosam esse patienter sustinent. Caterum ipsi vident: nos pueros doceamus, cum portas templorum prætereunt, quoniam Dei domus est, & ibi in sacrosancta Eucharistia Deus ipsemet habitat, cœlestiumque cineres atque ossa ibidem asseruantur, vt caput reuerenter aperiant. Si per ea fortè transierint, aut si in ea sacrorum causa intrauerint, versus

Eucha:

Eucharistiam genua primum flectant, eamque breui quadam prece venerentur. Spatia in iis facere velut in porticibus nemini prorsus concedamus. I. Sanè quidem hoc meis frequenter cantito.

## DIALOGVS LXXV.

*Indulgentia, bona opera, Christi Vicarius, cultus & imploratio Sanctorum, & alia demum.*

## CATECHISTES, CATECHMENVS.

**C**ATECHISTES. Respondebis mihi interroganti de nonnullis capitibus fidei Catholicæ, vt quantum tu me audiendo profeceris, & quid hæreticis in te inuadentibus dicturus contra sis, intelligere queam, **CATECHVM**. Quæcunque vis: nam ad interrogata me haud imparatū fore confido. **CATECH**. Quid vocamus Purgatorium? **CATEC**. Locum & regionem apud inferos, in quo elapsi è corporibus humanis piorum animi, antequam in beatorum sedes transferantur. salutarium flammarum ignibus lustrantur, & quasi percoluntur. Ex diuinis siquidem scripturis cognouimus, supplicium peccatis ad tempus constitutum nō simul cum reatu cōdonari. Cum autem nihil in-

N qui.

quinatum coelos ingredi possit, oportet, huiusmodi labores si in hac vita pœnis voluntariis, aut alia ratione deletæ & elutæ non fuerint, post obitum in Purgatorio deleri. Atque hinc indulgentiarum siue condonationum vsus existit.

CATECH. etiamne in mortuos indulgentiæ conferuntur? CATECHVM. Quid ni?

CATECH. Quis est ille Ecclesiæ thesaurus, quem se aperire dicit Pont. Max. cum est indulgentias largiturus? CATECHVM.

Meritorum seu perpensionum Christi, & Sanctorum: thesaurus infinitarum opum, quæ nunquam exhaurientur. CATECH.

Cur hæreticâ atrociter oppugnant editis libris indulgentias?

CATECHVM. Non intelligunt earum rationem, vt alia Ecclesiæ mysteria, ideo blasphemant. Est enim verè consentaneum diuinæ clementiæ pati eum qui soluendo non est, sibi per alium satisfacere.

Est etiam iustitiæ, cum quod debetur, hoc vsque ad extremum quadrantem exigitur, tametsi à debitore non solvatur.

CATECH. Cum Christus Patri pro nobis omnia persoluerit, quid bona opera? quorum attinet nos vexare corpora & animos rebus tam iniucundis & asperis?

CATECHVM. Non ideo necessaria sunt ad salutem, quia pretium quod ille persoluit nō sit iustum satis, cum pro mille murdorū peccatis fuerit plus satis magnum atq. nimium etiam futurum: sed quia ipse

Christus nihilominus requirit à nobis, vt suæ volun

voluntati obtemperemus, si liberationis huius  
 participes cupiamus esse. In carcere tetro & hor-  
 rendo clausi sunt trecenti homines. Princeps  
 aut Rex aliquis pro omnibus liberandis nume-  
 rat viginti audeorum millia: quantum videlicet  
 non petebatur. Num idcirco in huius liberalis-  
 simi liberatoris potestate non erit captiuis præ-  
 scribere quid agant, si de carcere exire velint?  
 potest nihil iubere. Sed si iusserit, non erit ini-  
 quus. Et profecto non tantum credentibus, sed  
 agentibus quoque ultimo illo die dicturus est:  
 Esuriui & dedistis mihi manducare, & quæ se-  
 quuntur. **CATECH.** Cum Ecclesiæ caput  
 sit Christus, quid nos pontificem Romanum eius-  
 dem caput facimus? **CATECHVM.** Pri-  
 mum, præcipuum & antiquissimum caput est  
 Christus: fundamentum enim aliud nemo po-  
 test ponere, præter id quod positum est Iesus  
 Christus. Verum enim uero, cum eius corpus,  
 quod est Ecclesia, sit aspectabile, cur non item  
 caput habeat quod videri audiri que possit? Et  
 cur sub Christo capite aliud caput non sit? An-  
 quia Rex vnus est, & omnium Dominus, ideo  
 alij magistratus sibi subseruientes non erunt? Pe-  
 trus caput fuit: sed illo humanis rebus exēpto,  
 num cœlū claudi & aperiri? **CATECH.** Cū scrip-  
 tū sit: Dominū Deū tuū adorabis, & illi soli ser-  
 uies, cur nos adoramus cœlites, eisq; seruiamus?  
**CATECHVM.** Adoratio aliquando com-  
 munē quandā venerationem sive cultum signi-  
 ficat,

ficat, vt honorem exhibere caput, aperiendo,  
 genua incuruando, in terram se prosternendo, si  
 milibusue modis, quo modo adoramus Præcep-  
 tores, Parentes, Reges, Principes: & in scriptu-  
 ra sancta Abraham filios Heth, Iacob Esau fra-  
 trem suum, alij alios adorauerunt. Hac ratione  
 nos adorare Sanctos consueuimus. Altera ado-  
 ratio Latria, vocatur, eaque multo plus cõ-  
 tinet: cum videlicet quispiam communibus illis  
 que diximus non contentus, plene perfectè que  
 se Deo summittit, intellectu eius magnitudinẽ  
 præstantiãque cognoscens, omnium ipsam  
 auctorem confitens, voluntate se totum ipsi su-  
 biiciens, omnia in eum velut supræmum finem  
 referens. Seruimus autem Deo sic, vt omni ex  
 parte ei subiecti simus: sentientes ex animo  
 idem quod Apostolus: Siue enim viuimus, siue  
 morimur Domini sumus. C A T E C H V M.  
 Sed cur ab ipsis opem petimus? C A T E-  
 C H V M. Tanquam ab amicis Dei, & à fratri-  
 bus nostris, qui non minus curant res nostras,  
 quàm cum nobiscum versarentur. Immo magis  
 iam sunt de nobis solliciti, quoniam eorum fla-  
 stus atque dignitas communem erga nos amo-  
 rem auget. Nec verò dicimus: S. Paule misere-  
 re nobis, sed ora pro nobis. Quamuis & illud si-  
 miliaque liceret dicere, hoc sensu: miserere no-  
 stri, vt Deum nobis tuis precibus placatum red-  
 das. C A T E C H V M. Quis aquæ, cereorũ,  
 herbarum, aliarumque rerum benedictiones in-  
 stituit?

stituit? CATECHVM. Apostoli illarum  
 precationum consecrationumque primi aucto-  
 res sunt, vt diaboli potestas, quæ res creatas sæ-  
 pe inficit, & corrumpit inde pellatur, & per illas  
 ab aliis seu locis, seu hominibus rebusque cate-  
 ris excludatur. CATECHVM. Qui sunt  
 effectus aquæ lustralis? CATECHVM.  
 Multi sanè atque varij Dæmones fugantur: pec-  
 cata leuiora eius asperione remittuntur: cogita-  
 tiones improbæ, imagines à diabolo in animis  
 excitatæ euanescent: mens à rebus perituris  
 auocatur: ad preces castè faciendas comparatur:  
 sancti Spiritus fauor impetratur. CATECHVM.  
 Cur accenduntur cerei, & primum quidem an-  
 te ædiculam in qua Eucharistia seruatur? CATE-  
 CHVM. Quod Christus est lux mundi:  
 & quomodo cereus è cera, quam apes Veneris  
 omnis expertes bestiolæ fecerunt, lychno & ig-  
 ne constat: sic Christus è corpore, quod ex vir-  
 ginis Mariæ sanguinibus concretus est, anima  
 & diuinitate tanquam lychno & igne constat.  
 CATECHVM. Cur ante imagines & re-  
 liquias Sanctorum? CATECHVM. Vt  
 significemus eos splendoribus virtutum & san-  
 ctitatis orbem illustrasse, de diabolo triumphã  
 egisse (nam triumphantes cum facibus deduce-  
 remos erat) & in cælis clarissima ac sempiterna  
 luce circumfundi. CATECHVM. Cur ad  
 lectionem Euangelij? CATECHVM.  
 Quoniam illud gentibus humanis quasi lumen  
 fuit

fuit ad cognoscendum Deum. CATECH.  
 Cur in supplicationibus lumina præferuntur  
 cum crucibus? CATECHVM. Vt noueri-  
 mus in hac militia Christiana sub vexillo cru-  
 cis fidei lumen adhibendum, & secundum eam  
 viuendum. CATECH. Cur in funeribus,  
 CATECHVM. Docemus mortuos tan-  
 quam inuictos milites triumphasse de hostibus  
 nosq; ipsis perpetuam optare lucem. CATE.  
 Quas utilitates præbet crucis forma? CATE-  
 CHVM. Est Christianorum oratio, qua cum  
 se signant, Deum precantur, uti suum ipsis auxi-  
 lium præstare in omnibus actionibus velit. Est  
 oblatio qua nos & nostra omnia Deo offerim<sup>9</sup>.  
 Valet itē ad frangendos impetus dæmonis. Ex-  
 citatur hoc signo spes nostra & fiducia in Deū  
 de obtinenda peccatorum remissione aliisq; bo-  
 nis: charitas erga Christum, qui pro nobis in cru-  
 ce vitam reliquit; & eius imitandi desiderium.  
 CATECH. Quis auctor fuit religiosarum &  
 votiuarum peregrinationum ad reliquias, & se-  
 pulchra Sanctorū? CATECHVM. Deus,  
 qui nūc ibi, nūc alibi, nūc isto, nūc illo loco ad  
 monumēta cineresq; beatorū, seu ad tēpla eorū  
 magna & insolita opera edidit, & hominibus do-  
 na varia eximiaq; impertiuit. Vnde pij commo-  
 ti sunt ad eiusmodi locos religiosē visendos,  
 ibiq; ad Deo gratias pro innumeris in genus hu-  
 manū beneficiis āgendas, & ad opē impetrandā,  
 qualē cæteris ibi præstitā accepissent. CATE.

In proptu te habere quod respondeas animadu-  
 uerto, si rogeris vel in singulis, quæ Institutioni-  
 bus primis Catholicæ fidei continentur. C A-  
 T E C H V M. Operam quidem dedi vt habe-  
 rem.

## DIALOGVS LXXVI.

*Veneratio, & laudes Dei matris.*

MELCHIOR, FRANCISCVS, BARTHO-  
 LOMAEVS, GASP AR.

**M**ELCHIOR. Mariæ virginis pa-  
 tronæ ac dominæ nostræ, immo eni-  
 muero totius humani generis aduo-  
 catæ dignitatem prædicemus nos,  
 qui in eius tutela sumus, & Sodalitati nomen  
 dedimus. F. Num sanctis Patribus hac in re di-  
 lertiores sumus? quorum pleni sunt libri Mariæ  
 Prædicationibus. Et cum multa sæpe legerim,  
 quæ ad eam commendandam pertinerent, nunc  
 vnius tantum loci mentionem faciam, qui est  
 apud D. Ambrosium: & hoc modo quasi meam  
 symbolam ad hæc cœnam contulero. M.  
 Accipiemus libenter quod dabis. F. Quid nabi-  
 lius, inquit, Dei matrem? quid splendidius ea, quam spen-  
 dor elegit? quid castius ea, quæ corpus sine corporis con-  
 tagione generauit? B. Quoniam vnica sententia, eâ  
 quæ aliena contentus es, peto abs te Melchior,

vt eandem mihi facultatem aliena recitandi cō-  
 ceda, quibus ego profecto meliora inuenire ne-  
 queo: & existimo Virgini gratum accidere, si  
 vel non nostris verbis dictisque, nostro tamen  
 ex affectu & pietate concelebreetur. Nam sic  
 quoque eius filium quotidie laudamus, dum in  
 precibus sanctorum hominum psalmos, hym-  
 nos & postulata quasi nostra ipsorum propria  
 proferimus. M. Affer quæ lubet, & vnde lubet:  
 promptè auscultamus. B. *Quid nos tantilli, ait Hieronymus, in eius laudibus referamus, cum etiam si om-  
 nium nostrorum membra verterentur in linguas, eam lau-  
 dare sufficeret nullus. Altior enim caelo est, de qua loqui ni-  
 rimarum abisso profundior, cui laudes dicere conamur.* G.  
 Pauca quidem, sed nihil potuit. Energiti co-  
 teron. Etsi verò aliad statueram, tamen ne à ve-  
 stigiis horum duorum discedam, adducam ego  
 ad eundem modum, quod apud Chryso-  
 stomum legisse me recordor. M. Hoc prius: poste-  
 rius quæ statueras dicere, dices omnino: nam te  
 alioqui non dimittemus. G. Atqui à vobis par  
 officium requiram. F. De nobis pone curam, ni-  
 hil promissimus: si quid dederimus, vltro dederi-  
 mus. G. Spero nullum vestrum fore mutum. Er-  
 go Chryso-  
 stomi verba hæc sunt. *Magnum reuera  
 miraculum fuit beata semper virgo Maria. Quidnam illa  
 minus aut illustrius vllò vnquam tempore inuentum est,  
 seu aliquid quando inueniri peterit? Hæc sola caelum & terram  
 amplitudine superauit. Quidnam illa sanctius? non Pro-  
 pheta, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non An-  
 geli,*

geli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non denique aliud quippiam inter creatas res visibiles, aut inuisibiles minus aut excellentius inueniri preest. Et nonnullis interiectis, audite quomodo eam veneretur, quomodo roget. *Aue* igitur mater, cælum puella, virgo, thronus, Ecclesia nostra decus, gloria & firmamentum. *A*ssiduo pro nobis precare Iesum Filium tuum, & Dominum nostrum, ut per te misericordiam inuenire in die iudicii, & quæ reposita sunt eis, qui diligunt Deum, bona consequi possimus. *M*. Os aureum, verba aurea. Quia porro vobis ita visum est ordiri colloquium hoc à grauisimorum sanctissimorumque Patrum vocibus, patiemini me quoque, quamuis huius sermonis ducem, aliquid è Cyrillo Alexandrino Episcopo libare. *F*. Si vel totam homiliam adducas, non graue nobis acciderit aufcultare. *M*. Non longum faciam, ut Gasparem audire quam primum possim. *G*. Sic dicam, ut tibi maiores dicendi partes relinquam. *B*. Quomodo cunque rem partiti fueritis, & siue tu Gaspar, siue tu Melchior plura differueris, ego & Franciscus hunc totum diem in audiendo libenter ponemus. Sed quæ est illa gnome? *M*. Dei quodam ipsi festo, cum ad populum concionaretur: *Laus & gloria sit tibi sancta Trinitas, quod omnes nos ad hanc celebritatem conuocaris. Sic etiam tibi sancta Dei mater laus: tu enim es pretiosa margarita orbis terrarum, tu lucerna inextincta luminis, corona virginitatis, sceptrum orthodoxæ fidei, templum indissolubile, continens eum, qui nusquam contineri potest, mater & virgo. Tu benedicta in*

*ter mulieres, eius parens, qui venit in nomine Domini.*  
 G. Prelare Cyrillus, & magnifice vt ceteri.  
 M. Dic tu iam Gaspar quæ cogitaras. G. Extra  
 dolum, partem orationis meæ, quam ad studio-  
 sos adolescentes dixi de Dei para ad hinc trien-  
 nium, volebã ex memoria dicere. Etenim quia  
 non longa, necdum oblitus sum. F. Age. G. Lau-  
 dabam Annam & Simeonem, de quibus. D. Lu-  
 cas, eos cum portaretur in templum Iesus infan-  
 tulus, occurrisse. Quos item credibile, ambos  
 eundem non aspexisse modo, sed complexos  
 etiam, & osculatos esse. Dehinc addebam hæc.  
 Beatos oculos pronuntiare non dubito, qui rem  
 tantam, & omnibus inauditam sæculis contem-  
 plati sunt. Beatas manus quæ tractauerunt, bea-  
 ta labia, quæ illam pulcherrimam, suauissimam  
 ac caelestem faciem osculata sunt. Beatas aures,  
 quæ postmodum loquentem in corpore diuinã  
 sapientiam audierunt. Hæc cum ita sint, quanto  
 feliciorem ac beatiorem ipsam Dei nostri ge-  
 nitricem statuemus, quæ non semel duntaxat af-  
 pexit hoc ingens cœli terræ que miraculum, sed  
 quàm sæpissimè: non tantum contrectauit, ve-  
 rum etiam educauit: nec educauit modo, sed  
 etiam de suo purissimo sanguine formatum vt  
 rō gestauit, gremio confouit, vlnis circumtulit.  
 O rem admiratione omni superiorem. Quem  
 cœlorum immensa capacitas, terrarum ingens  
 amplitudo, mundus vniuersus non capit, cum  
 puellaris vteri angustia totum ceperunt. B.  
 Dilix

Disertus orator fuisti quantum apparet. G.  
 Quis potest obsecro esse indisertus cum de hac  
 Virgine loquendum est? cuius paruo lacte pa-  
 stus est, per quem nec ales esurit, vt canit Sedu-  
 lius. Lacta o beata puella, lacta eum quem cum  
 Deo patre communem habes filium. Nec totus  
 de illo, nec totus de te est: quantus quantus ta-  
 men est, tetus Dei est, totus tuus est. Tibi salu-  
 tis nostræ pretium est creditum. In manibus  
 tuis est libertas, vita, salus nostra. In sinu tuo, in-  
 ter vbera tua commoratur agnas sine macula,  
 quem pro nobis immolari oportebit. Te velut  
 arborem fertilissimam cum summa animorum  
 incunditate aspiciamus: velut irriguum atque  
 amœnum, & omni florum diuersitate confutum  
 hortulum intuemur: velut limpidissimum fon-  
 tem contemplamur. Fructum protulisti, quem  
 qui comederit, non morietur. Summisisti flo-  
 rem, cuius odor venenatas fugat bestias. Fudi-  
 disti aquam, quam qui biberit, nunquam sitiet. F.  
 Tua facundia rumpit meum silentium. In quo  
 ordine collocabimus hanc Dei parentem? Cum  
 coniugibus? incorrupta est. Cum virginibus?  
 mater est. Cum viduis? virum habet. Cum  
 hominibus vniuersis? nobilior, sanctior, ex-  
 cellior est omnibus. Cum angelis? hos ipsos  
 puritate vincit, dignitate antecellit. B. Nec  
 ego tacebo. Sedet ad dexteram filij mater in  
 cœlis, vt Salomonis illa in terris. Hanc spiri-  
 tum beatorum myriades, vt conditoris sui pa-  
 rentem

rentem laudibus eximiè venerantur. Quà porr-  
 guntur spatia orbis Christiani, carmina illi per-  
 petuo concinuntur, honorèsq; maximi tribu-  
 tur. Et quidem merito: quando nunquam fuit,  
 nunquam erit, cui secundum Deum plus debeamus.  
 Per illam (vt complectar vno verbo) duris-  
 simæ seruitutis iugum à cervicibus nostris de-  
 pulsam, & interclusus in cælum aditus nobis  
 est apertus. Eva vulneravit, Maria sanauit. Illa  
 mortem inuexit, ista vitam apportauit. G. Noli  
 à nobis postulare plura Melchior, cum possis  
 vnus differere in noctem si velis, de hoc argumē-  
 to, in quo te scimus & sæpe versatum, & versari  
 quàm cupidissimè. M. Si quid præsto, aut præ-  
 staturus sum, quod Mariæ non displiceat, & le-  
 ctiores atque auditores meos nullo tedio afficiat  
 & gaudeo mihi, & gratulor illis. Epicurus cum  
 docuisset deos neque bene meritis capi, neque  
 gratia flecti, neque irasci, neque res mortalium  
 curare, nihil denique neque habere ipsos nego-  
 tij, neque aliis exhibere, propter præstantem ni-  
 hilominus eorum excellentemque naturam ve-  
 nerandos ab hominibus, & colendos iudicauit.  
 habet enim venerationem iustam, quidquid ex-  
 cellit, vt inquit. M. Tullius. Quid iam secundum  
 Deum inter res omnes ab eo conditas nobilius  
 quid præstantius hac virgine animo concipi po-  
 test, quomodo sol iste vniuersum orbem fulgor-  
 re suo illustrat: suæque lucis aspectu mortales  
 mirificè exhilarat: sic mulier hæc amicta sole, &  
 veris

Veneranda  
 Memoria  
 Laetitia Benito

verissimi solis mater orbi Christiano diem ac  
 lucem gratissimam infert. Atque vt in istum,  
 qui supra nos voluitur globum, sine offensione  
 aciei oculos intendere nequimus: ita neque in  
 hunc caelestem diuinumque solem animi obtu-  
 tum penitus defigere, ob incredibilem lucis  
 eius, immensamque claritatem. Hæc est illud li-  
 gnum vitæ, fructum afferens immortalitatis.  
 Hæc domus, quam sibi excisis septem colum-  
 nis sapientiæ ædificauit. Hæc tabernaculum  
 Dei cum hominibus. Hæc stella matutina in  
 medio nebulae refulgens, lilium in medio spina-  
 rum, oliua speciosa in campis, cinnamomum &  
 balsamum fragrantissimum. Illa tanquam vitis  
 fructificauit suauitatem odoris, & flores eius fru-  
 ctus honoris & honestatis, cuius memoria in ge-  
 nerationem sæculorum. Hæc omnia, & longè plu-  
 ra que omittere cogor in præsentia, nonne per-  
 spicua illius excellentiæ sunt argumenta? B. Sunt  
 verò maximè perspicua. M. Iustè igitur illam  
 suspicimus, & cum pietate colimus. Sed ob hoc  
 etiam multò iustius, cum tot eius tamque mag-  
 na & singularia in genus humanum extent pro-  
 merita. Verè illa ciuitas refugij, & ebypeus om-  
 nium in se sperantium dicitur. Clamant vrbes,  
 clamant prouinciæ, clamat omnis ordo, omnis  
 ætas, clamant omnes pene anguli orbis terrarum,  
 & Mariæ pietatem, clementiam, beneficentiam  
 extollunt. Quot miseri, & incommoda fortu-  
 na vsi, per eam solatium, quot morbidi sanita-  
 tem,

tem, quot periclitantes salutem, quot sceleratam  
 veniam, quot mortui vitam inuenerunt? Mirum  
 huius sanctissimæ parentis in homines benignitas,  
 inexplicabilis amor. Et quamuis ipsa gaudis  
 diis innumeris circumfluat, atque cum filio fecerit  
 licissimè regnet, nostri tamen veluti bona mater  
 liberorum numquam potest obliuisci. Quod  
 enim pacto cesset esse misericors, quæ misericordiam  
 ipsam peperit? aut qui possit non amare, quos  
 tantoperè amauit filius, ut eorum liberandorum  
 causa dirissimis cruciatibus excarnificandum  
 sese occidendumque obiceret? Quoties inter  
 Deum atque nos ipsa sese interposuit & irato  
 suis precibus quasi telum de manibus extorsit?  
 quoties bellum, incendia, cædes, direptiones,  
 pestilentias, annonæ difficultates & similia  
 mala impendentia nobis filium deprecata  
 auertit? quoties pacem, rerumque omnium  
 copiam impetrauit? Iure populus Catholicus  
 eam vitam, dulcedinem & spem suam saluat. Iure  
 se ipsi eiusque fidei committit. Iure eius opem  
 & auxilium quibuscumque pressus incommodis  
 implorat, & quantis maximis potest honoribus  
 eam prosequitur. Quam nos uti hætenus, pro  
 sacrosancta consuetudine, ac legibus Sodalitatis  
 nostræ quæ castissimè, ac præcipuo quodam  
 cultu veneremur. hæreticorumque maledicta,  
 quibus eam lacerant, nec floeci faciamus. F. Si in  
 filium tantis diebacchantur cõtumelias, quomodo  
 tandem parcerent matri? Sinamus eos implere  
 numerum

numerum perfectæ infantiæ, vt Lactantius de  
Leucippo venustè scripsit.


## DIALOGVS LXXVII.

*Tempus, & modus ludendi.*

I I D E M.

**P**ATRVS S. Modestix ac temperatix  
munus antiquissimum est, coercere mo-  
derarique voluptatis appetitum. Quo fit  
vt hi eius explanatione, cum officia tra-  
duntur, de ludo etiam & loco præcipiendum vi-  
deatur ( siquidem voluptates sunt, quando il-  
lius vti fas fit, & quateus. N. Perlubens de  
vtroque te disputante in auscultauero: tua enim  
oratione nihil eruditius, nihil etiam, ( nec id  
auribus do) lunatius atque facundius. P. Ludo  
perinde vti conuenit vt medicina, vt somno, vt  
quietibus cæteris. N. Strictum tu quidem &  
summum. Sed explica quod inuoluisti, ama-  
bo te, mi Patruè. P. Quis appetit quietem, &  
cuiam ea dulcis est? N. Ei opinor, qui mul-  
tum laborauit. P. Quis somno suauissime frai-  
tur? N. Cui lassitudo, omnia membra tenet, cui-  
que medullâ perbibit, qui Plauti sermo est. Tûc  
enim verè fessos sopor irrigat artus. P. Medicinâ  
porro qui expetunt? sanine an morbû vel habê-  
tes

tes iam, vel metuentes? N. Et qui ægrotant, & qui se ægrotaturos timent, accersunt medicos. P. Sic ludus iocûsque tum est haud aspernandus cum grauibus seriisque rebus, officio quenostrisatisfecerimus: quam rem fatigatio animi & corporis consequitur, quibus succurrendum est, velut medicaminibus, velut somno, velut quietibus aliis. N. Teneo quando ludendum: de modo seu mensura quæro, P. Inter ludendum immoderato impetu motuque animi turbulento astinendum est: ut scilicet ne nimis profundamus, elati que voluptate in turpitudinem aliquam delabamur: in lites, in inimicitias, in vulnera, in cædes etiam. Nam quia nec pueris quoties volunt ludendi potestatem, nec quoduis ludendi genus concedimus, sed id, quod ab honestate non recedat, oportet profectò in adolescentem quoque, non virorum ac senum iocis ludisque duntaxat, ingenuitatis, modestie, honestatis lumen elucere. N. Non igitur eos commendares, qui frequenter totoque pectore ad lusum incumbunt. P. Quis id quidem possit; qui crebro ludit, non indiget ludo: quoniam causam ludendi non habet, de qua supra diximus, & voluptatem tantummodo consecratur, quod epicureus est. Qui autem se profundit, & immodestus est: modum ac limitem transit, & vterque sit intemperans. Illud antiquum: ne quid nimis, hic quoque obseruandum est. N. Iam, si placet, de officiis ludentium age, nam hoc deinceps sequitur, ut



vt puto. P. Est quemadmodum putas, sequitur.

## DIALOGVS LXXVIII.

*Officia ludentium.*

## I I D E M.

**P**ATRVS S. Quæ dicturus sum, eorâ aut pleraque, aut à paucis obseruari autumâ. N. Credo equidem, nec vana fides: & ideo ipsorum lusus laude carent.

P. Qui pertinaciam adhibent, qui fraudibus lufores circumueniunt, rixantur, mentiuntur, illi ad imponendas vicissim graues iniurias sese armare quodammodo, extimularè que videntur: nemo siquidem fallaciis, dolis, conuitiis, contumacia secum agi vult, & longè præstat vinci, quàm vincere huiusmodi artibus. Sicuti Socrates affirmabat, meliores esse qui acciperent, quàm qui facerent iniuriam. Et Plutarch. Non tâtum egregium est scire vincere: sed etiam posse vinci pulchrum est, vbi victoria est damnosa. N. Pueri, in quibus existere solet insatiabilis victoriæ cupiditas, ægrè deuitant hæc vitia, & difficillimè sibi temperant, quin alternatim decipiant, aliquid inter se litigi) contrahant, vanitatem orationis adiungant, & ira exuperante (quam com-

primere propter animum, qui eos regit infirmum, non possunt) vnguibus in faciem inuolent. P. Quædam officij præcepta debent ac possunt tradi quamuis pueris: quæ si non seruent, virgarum pœnis subiiciantur. N. Expertæ virtutis remedium hoc est, pellendisque puerorû morbis efficax. P. Qui ludicrorum certaminum arbiter & iudex deligetur, ei sententiam ferenti aduersari ac reclamare non oportet. Si quando cum sodalibus imperitioribus ludum susceperimus, eosque propemodum semper vincere possimas, cogitato cedemus illis nonnunquam triumphum, vt se quoque non nihil profecisse eum putauerint, fiant alacres, & nos alacriores reddant. N. Id obseruavi cum coæuis meis puer sapius, & nunc cum adolescentibus adolescens obseruo. P. Optimum est. N. Tamen quo quisque imperitior est, hoc illi amplius à ludo refugiendum existimo.

*Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis.*

*Indoctusq; pile, discive, trochive, quiescit,*

*Ne spissa risum tollant impune coronæ.*

P. Immò enim uero tâto magis ludat, quoniam nisi usu & exercitatione peritia non acquiritur. Ille tantum ludere vereatur, qui nihil didicit. N. Responsione tua sum contentus. P. Ingenuus est, magis animi, quàm lucelli causa ludere: quod eum queritur, difficile est tueri modestiam. Lucrum nunquam fatiat: atque adeò plus est in ea

appe

appetitione frangenda negotij. N. Non ergo laudas, cum pecunia in ludo deponitur, quam victor sibi tollat. P. Non laudo. Quod si pueri numulos deponant, multandos verberibus pronuntio. N. Quam obrem verberibus? P. Nam cum ij defecerint, parentibus faratur denario, ut sumptus in ludum suppetant. Noces, & lobuli, & simili sint pro quibus certent. Non errant qui indolem puerorum in ludo perspicere scripserunt. Ego vetò etiam viros inde cognoscei aio, & commendatione prosequendos, qui semetipsos continere norunt, & quidquid illiberale est, remissae ac velis fugiunt. N. Fortior est qui se, quam qui fortissima vincit. P. Optarem adesse ludis puerorum pedagogos, magistros, aut maiores natu, quos reuereri & metuere cogerentur: ut proinde nihil parum decens, nihil petulans & coena expiandum committerent. Illud item à quibusdam rectè præcipitur, ut dum iudicent, latinè loquantur, certam cum animaduersione decreta, qui vulgari sermone usus fuerit. Hanc ad rem conducet plurimum, si Praeceptores vocabula simplicia, & loquendi rationes ac phrasas, ad quòdque ludi genus pertinentes ipsis explicauerint & dictauerint. N. Nusquam aequè barbare inquinatèque loquentes audio pueros nostros quam inter ludendum: ut non tam imperandus illis, quam vetandus sit latinus sermo. Utilius enim tacere omnino, quam adeo foedè garrere dicam, an grunire? P.

DIALOGVS LXXVIII.

Quid mirum? nemini sollicitudini est, vt proprie ac Romanè loquantur. N. Video in multis admonendos ac docendos ipsos doctores. P. Cæci cæcos ducunt. N. Aliane restant officia? P. Etiam, restant quædam. N. Eia, adiunge. P. Vt ludas cum notis. Etenim cum ignotis ludere, nec iucundum est, nec tutum. N. Vti affirmas, sic est omnino. P. Sint item collatores belli, humani ac probi, cum quibus periculum non sit ne litiges: ne aut illi tibi, aut tu illis dicas, quod altius in pectus descendat: quique deuotionibus, contumeliis, & obscenis dictis abstineant, ne quid contagionis ad te perueniat. Ipsum præterea ludi genus tibi, collatoribus spectatoribusque sit cognitum, vt ex omni parte voluptas capiatur. Nec nulla sponsione, nec magna ludito. Illud fatuum est: hoc sollicitat & perturbat animum ludentis, & si victus fuerit, magnoperè ex cruciat. N. Nescio quomodo mærori est vel nubes, vel ligulas paucas ludendo perdidisse, nedam vitulam, quæ bis venit ad mulctram, binos alit vberè foetus. P. Postremo tam diu ludes, donec animum ad grauiora & seria reparatum sentias. Non enim ad ludam & iocum, sed ad seueritatem potius, & ad quædam studia grauiora atque maiora facti sumus, vt præclare dictum est à Cicerone. N. Relinquitur iam (vt erat propositum) quartum qua situm: qui lusus minimè exercendi. P. Com-

memini.

DIA.

## DIALOGVS LXXIX.

*Lusus auersandi.*

I I D E M.

**P**A T R V V S. Verecundum ac libera-  
 iter eductum adolescentem ab illis lusi-  
 bus refugere oportere, quibus infamiae  
 nota inulta est, ex antegressis disputatio-  
 nibus disci potuisse opinor. N. A quibus istis?  
 P. Alearum siue tesserarum, & chartularum pi-  
 ctarum. Latrunculorum ludum (vulgò scacho-  
 rum) inuenio damnari ac reici à nonnullis quan-  
 quam vsitatissimus est, placetque multis, de quo  
 Hieronymus Vida poeta eruditus & elegans li-  
 bellum fecit. Nihil aiunt habere iucunditatis:  
 constare quidem ingenio: sed ideo literatis  
 minus idoneum, quod mentem studiis iam defa-  
 tigatam, magis cessatione recreare, quam nouo  
 meditationis labore grauare oporteat: & tem-  
 pus, quo nihil sit pretiosius, ea ludi vanitate  
 ineptè consumi: esse inuentum hominum ni-  
 mis inertium, & ab otiosissimis frequentari.  
 Hæc illi dicunt. N. Quod tuum est iudicium?  
 P. Ego rem in medio relinquo: caret certè igno-  
 minia, & principibus etiam viris non improba-  
 N. De alea velim aliquanto vberius disleras. P.  
 Alex ludus à Palamede Nauplij filio apud  
 Troiam

Troiam in castris ad militum otium oblectan-  
 dum excogitatus putatur. Quidam hunc Pala-  
 medem latro uiculorum auctorem prodiderunt.  
 Plato scribit Theut̄ priſum quendam Deum  
 talos & aleas inueniſſe. Herodotus autem lib. 1.  
 Lydiis hoc inuentum tribuit. Interdictū olim  
 huncce ludum Romæ fuiſſe indicat Horatius.

*Ludere doct̄or*

*Seu Græco iubeas trocho,*

*Seu malis uerita legibus alea.*

Ulpianus quidem lib. Pandect. X. titu. de aleato-  
 ribus, eius nodi Prætoris edictum producit. *Præ-  
 tor ait ſi quis eum, apud quem alea luſum eſſe dicitur,  
 verberauerit, damnauitve ei dederit, ſiue quod eo ſtempore  
 domo eius ſubtractum eſt, iudicium non dabo. In eam qui  
 alea ludenda cauſa vim intulerit, uti quæque res erit, ani-  
 maduertam.* Illud. *Vim inferre* Paulus Iureconſul-  
 tus ſic interpretatur. Cogere ad luſum vel ab ini-  
 tio, vel victi damno retinent. Sapientibus & litera-  
 tis uiris ſemper odio fuit hic ludus. Plato ado-  
 leſcentem aleam ludentem uidens cum incre-  
 paret, & ille: ob rem tam paruam me obiurgas?  
 At conſuetudo non eſt res parua, ſubiecit Pla-  
 to. Nolebat uir ſingularis in conſuetudinem ve-  
 niri ea in re, quã iudicabat uicioſiſſimam. Nun-  
 quãne audiſti illud: Optimus aleator eſt ne-  
 quiſſimus? Et illud: Quanto melius, tanto peius  
 N. Millies P. Cum impudicis & uentri deditis  
 coniungit aleones Catullus, ut ex ſocietate ho-  
 minum præſtantiam perſpicias.

Quis hoc potest videre? quis potest pati,  
Nisi impudicus & vorax, & aleo?

Et Næuius apud Festum: Pessimorū pessime,  
audax, ganeo, lurco, aleo. Cicero item 3. Off.  
Cum mendacibus, furacibus, ebriosis aleatores  
nominat. O genus lusorum nobilissimum.  
Quid talibus audacius, quid impudentius, quid  
in Deum atque homines execrationibus intor-  
quendis exercitatus? Domitianus Imperator,  
quoties occupationibus se relaxasset, ludebat  
telleris. Usque adeo ceteræ iucunditates illi  
sordebant. Nero immanis illa bellua, in singula  
puncta, nescio quot aureorum millia constituis-  
se dicitur. O aleam pretiosam, verèque auream  
& argenteam. Fuge, mi Fili, hoc turpissimum  
genus ludendi, si quidem ex re consultas tua.  
N. Et fugi, & fugiam quasi pestem quandā. Qui  
præter hos vitandi sunt? P. Sortium ac diuina-  
tionum, quibus letalis noxæ piaculo homines  
obstringuntur: homines inquam male frugi,  
quos illa recreant. N. Non possum quin exla-  
mem. Facile hic plus mali est, quàm illic boni.  
P. Funambulos, gesticulatores, duellatores, mo-  
riones in ordinem aleonum referre licet.  
N. Superest vltimum caput. P. Id cum  
absoluero, nihil amplius debuer. I. in  
ro. N. Nihil sanè.

O DIA-

## DIALOGVS LXXX.

*Ludus lapidum orbicularum ad metas.*BASILIVS, CAROLVS, DANIEL-  
EVSEBIVS.

**B**ASILIVS. Quid hic fessitamus & marcemus otio? quin aggredimur ad ludendum? quando quidem ea nobis à Doctore facta est copia. C. Id ipsum in pectore volutabam meo, quomodo hunc diem ludis iocisque conderemus: & mirabar te qui escere tam diu potuisse, qui lusorum alphasis, & qui nunquam æquè beatus tibi videre, atque cum ludo das operam. D. Ludamus cum hilaritudine. E. Et quem ludum? nam ad victoriam nō parum apud me interest; neque enim trecentis in generibus exercitatum me possum affirmare. B. Nucibus ludamus, si vultis. D. Immo pila. Quid ait Carolus? C. Neutro, sed par, impar, idque aut aciculis aut globulis. E. Si me audiat, optimam formam reperi. D. Nempe tibi optimam. F. Et vobis, si peritè luseritis. B. Dic sodes. E. Iactus lapidum ad conum, seu metam probatur mihi ante omnes. C. Qua causa? E. Vsitatissimus est candidatis literarum: exercet corpus & calui non est tam subiectus, quam alij: nam  
arti-

artificio quodam contorquendus & emittendus est lapis, si gestias vincere: casus vel nunquam vel perraro te adiuuabit. B. Fiat; petamus scopum iaciendis lapidibus: vos pro se quisque lapides deligite, ego hunc mihi rotundando accommodabo. D. Lapidem fat multi: at inepti, at nimis asperi; at magni & inæquales; B. Quintu me imitaris, vt ego lapicidam pulchrè imitor? C. Hui, quam elegantem & appositam inueni? E. Inuideo tibi: nihilominus quod tu à lapide, id ego à dextra mea sumam. B. Adeste oculis, iam ego exportar meum. E. Perbene cadit. C. Metas depangamus. Tu hanc Eusebi: ego istam D. At enim, quot passibus vniam abelle placet ab altera, quo interuallum nève nimis breue, nève nimis longum sit? hoc etenim incòmodo est debilioribus, illud valentibus. B. Quindecim passus mei intersunt, nisi aliud videatur. C. Agedum metire spacium. B. Vnus, duo, tres, quatuor, &c. D. Quinam erunt sodales inter se? E. Mox sciemus. Iacite singuli: metæ proximi sodales sunt, remotiores similiter. Ego præibo. Quod Deus bene fortunet. B. Sequor. E. A me stabis: bonum omen victoriae. Daniel & Carolus sociabuntur sibi. D. Quid si metam attigerò? B. Nò atariinges. D. Velis nolis, attigi. Iam tu cede mihi partes tuas Basili. C. Si ab vltimo incipias, patet me primum fore. E. I. a est, sodalis meus est Daniel, tuus, Carole, Basilius. D. Quotum ad numerum ascendendum censes,

vt sit perfecta victoria? C. Ad septenarium. B.  
 Ad octonarium. D. Octonarius igitur sit palma-  
 rius. C. Ecquod præmium dabitur victoribus?  
 B. Qui victi fuerint, victoribus ientaculum sol-  
 uent. C. D. E. Honestum præmium. E. Initium  
 nos facimus. Quod fœlix faustumq; sit. Aduer-  
 sarius alter mihi succedet, ne continenter luda-  
 mus sodales. B. Nouimus morem. Ergo lude iã  
 aut tu Basili, aut tu Carole. C. Ecce. D. Quo pa-  
 cto tu Eusebium, eodem ego te superabo. C.  
 Non superasti. Rade metam Basili si potes. Do-  
 cte Duo numeramus. B. Nunc prior iace Caro-  
 le. C. Bene. E. Melius. B. Optimè. D. Cum su-  
 premo euasero superior, quid dicam, nisi bona  
 pace Grammaticorum optimissimè? Iam nu-  
 meramus vnum. C. Vnum numerari qui po-  
 test? D. In cruciatum sophista. Procedat iactus  
 tertius. Pro, manu fugit lapis: iterum iaciendum  
 est. N. Non patiemur. E. Lex hunc ludum lu-  
 dentium sanxit, vt si quis imprudens iecerit, aut  
 si dimidiatum spatium non transmiserit, resu-  
 mat lapidem, ac de integro iaciat. C. Geramus  
 morem illis: alioqui par pari referent, quod nos  
 mordebit. B. Lude rursu. D. Nō me pœnitet ite-  
 rationis huius. B. At iã pœnitebit. E. Ha, ha, cer-  
 nite obsecro, quã scitè saliat lapis Basilij. Excipe  
 sociu Carole. D. Ohe, lapistius Carole emula-  
 tur rotã. Quot millia curret? Restas sol<sup>o</sup> Eusebi.  
 Esto vir fortis. Vicimus. Quãtũ numerũ obtine-  
 bam<sup>o</sup> antea? He<sup>o</sup> Carole, ecquid potest ternarius  
 nume-

numerari? nam paulo ante monas non poterat.  
 C. Longè abest ternarius ab octonario. E. Quo-  
 tum vos adepti? B. Binarium. D. Vide mihi huc,  
 & vince si queas, Basili. B. Vincam. C. Si tu dein-  
 ceps ita viceris, nos tentaculum perdidimus. B.  
 Papæ, quantum à meta disto? D. Est locus Euse-  
 bi, appropinqua. E. En. D. Nostra est palma. C.  
 Nostra est. D. Nostra est profecto. Quo pigno-  
 re certas mecum Carole? C. Tres ligulas, quas  
 optimas habeo, depono. D. Ego istum torulum  
 de pileo. B. Circumspiciamus mensuram, vi-  
 men, culmum, aut tale quid. E. Ecce mensuram.  
 C. Metiamur. E. Fallis o mensor. C. Falleris, nō  
 fallo. E. Sine, metiar ego. C. Cape. E. Videtis  
 nos vicisse? B. Vix tanto præceditis, quantum est  
 præsemen vnguis. E. Et falsum autumas. & par-  
 ui refert quanto, dum antecedamus modò: si qui-  
 dem nos is victor declaratur, qui valde mul-  
 tum vincit, sed qui vincit. B. Habetote quod  
 habetis: nos spem nec dū eiecimus. D. Ista spes  
 mera est audacia. Incipe Eusebi. E. O iactū fau-  
 stissimum. B. O infœlicem iactum meum. Nisi  
 tu Carole doctius ludis, propemodum actum  
 erit de nobis. Nos miseri, iam isti septem nu-  
 merabunt. E. Iò triumphe. D. En septē: & nūc  
 meus finem dabit. Dedit. B. Cur? D. Accurre,  
 aspice, ipsi mete incumbit. C. Ego deiciam. E.  
 Si velle esset efficere Iecit, nihil promouit. Ien-  
 taculum, ientaculum. B. & C. Seluemus, nec cla-  
 ma Stentor.

## DIALOGVS LXXX.

*Ludus globulorum.*

FABIUS MELANIOLVVS.

**M**ELANIOLVVS. Heus Fabi, unde tibi sacculus tam plenus globulorum? F. Furatū me credis? M. Apage cum istac suspitione: non puto furatum. Emisti? an donati sunt tibi? an lucrando acquisuisti? F. Lucrando maiorem partem, reliquos emi. M. Quid sit te pauperiorem conciliēs? F. Quid si cœlum ruat? sed si quid audes. M. Libet ludere? F. Cur non libeat? M. Quo genere? F. illo, per quod tu mox aut Crœlus, aut Irus fias: ille, si viceris; hic, si victus fueris, quod opto & spero. Vix tibi sunt viginti globuli. M. Fuit, quando tu trecentos non habebas. Age, dic, quo genere certabimus? F. Par, impar volō: ita vt scrobiculum humi faciamus capacē vnius pugni virilis, altum mediocriter. Inde ego certo interuallo distans, & subsidens, de vola meos tuosque omnes simul in illum leui iactu coniciam. Si incurrerit in fossulā numerus par, omnes globuli erunt mei, quique foris, quique intus iacebunt: si impar, omnes erunt tui. M. Ast ego quoque iacere velim. F. Esto, sed tunc quando ego victus. Fac scrobiculum. M. Commoda

to cultrum, F. Franges, & magno stetit. M. Nequaquam est terra mollis & argillacea. F. Digtis euerre frustula. M. Dictum factum, euerri. Hic erit meta. F. Nimum distat. M. Quomodo nimum? duobus passibus meis, & semis, est humus plana, sine lapidibus stratorijs, leuiter acliuis, accommodata huic ludo. Si esset scrobiculus ad parietem, liceret iacere maiore, vi. Quot vis dem tibi in manum? F. Si vis cito rem perdere, da multos. M. Duos dabo. F. Hoc mihi est. Vis me quatuor globulos iactare? M. Ergo quatuor do. F. Jam hoc aliquid est. En octonarium, sic collocatum, vt binarius binarium sequatur. M. Sta intra metam, ne digitum transuersum, aut vnguem laui excesseris. F. Siccine? M. Etiam. Sed iam nimis propendes contra scrobiculum. F. Non profecto. M. Immo. Esto iustus, si me vis esse. F. Sum. En iacio. Quatuor sunt intus, numerus par. M. Expecta, ne collige: adhuc alij currunt aduersus scrobiculum. Hem, quintus incurrit, mea est victoria. Iam tu mihi da numerum. F. Accipe sex. M. Placet. Prima victoria addidit animos. Aspice, omnes miei, euax. F. Accipe rursus totidem. M. Accipio. Octo sunt intus. Io, Io, tertia palma. F. Accipe denuo, & totidem. M. Ecce tibi, rursus octo. F. Nolo amplius ludere. M. Quare? F. Tecum est foelicitas. M. I. gloriare de tuis globulis. Feci ne sacculum tuum leuiorem? F. Et tibi alius faciet. M. Tumebas ante, F. Et tu modo.

## DIALOGVS LXXXII.

*Ludus turbinis.*CHARINVS. LEPIDVS, FOR-  
TVNATVS.

**C**HARINVS. E buxo est meus  
turbo. L. Meus è cornu. F. Et meus est  
corneus. Aspiciate sultis, quàm niteat  
pro nigrore, quàm bene fastigiatus ex-  
cautusque sit. Nec est grandis nimium, qui la-  
boriose flagello agitaretur: nec nimis parvus,  
qui saltitaret impudicè, & amitteretur facile.  
C. Vis commutemus? F. Qui tibi hoc cogitare  
libet: tuus citius teretur quàm meus: lignum  
quippe mollius. L. Meum hunc non laudant  
semetipse laudabit, cum gyros describet curren-  
do maximos, & paucis ac leuissimis idibus cur-  
ret diutissimè. C. Hoc solum est planissimum  
& spatiosissimum, proindeque huic lufui mi-  
re idoneum. Quod bene vertat, contorqueo  
meum pollice & medio digito. L. Ego soleo  
circumuoluerè ter, quater corrigiam flagelli  
circumuolutum humi ponere, bacillum impe-  
tu attrahere sursum. Tum ille liberatus vincu-  
lo, quasi in pedes se erigit, & strenuè cursitat,  
hoc modo. F. Ecce meum. In a flagello, tuus  
languet. Charine, agit animam: & tuus Lepi de-

L. Vc

Domingo Lar  
 Vicino de la  
 de la fuente de  
 de la fuente de

L. Vc  
 de la fuente de  
 de la fuente de

L. Vt volitat meus? F. Vt amplissimos orbes conficit meus? C. En vt meus tuum ferit cum sonitu, Fortunate: propemodum deiecerat F. Feriet meus vicissim breui. L. Ah, mei flagelli virgula diffracta est. C. Certemus nos duo Fortunate: iam plus spatij relictum est, & turbines contra se mutuò impellamus. F. Sic agamus, Bone Deus, vt me fatigat meus? & minutis tantum ictibus opus est. Scuticam probatissimam habeo, corrigiam optimam è pelle hircina, & bifidam. C. Sudore diffuio, cessemus. F. Nondum sudo. Solus sum, validius agitabo meum. Vide quæso, horribiles saltus edit. C. Ero aliquandiu spectator tuus. F. Quo Lepidus abiit? C. Virgulam quærit ad reparandam scuticam. F. Quare non iam pridem hunc nobilem ludum exercuimus? C. Erit, cum etiam hic displicebit. F. Nunquam Charine. C. Quo pignore certas mecum? Sed redit Lepidus. F. Ego quoque lassus sum: spectabimus ambo Lepidum. O Lepidule, tibi cedimus campum istum. Nunc te ostendes quantus vir Sies L. Tam citò fessi? C. Te deficiente (deficies enim) nos ludum iterabimus. L. Quid cras futurum sit, iuxta vobiscum nescio. Hodie quidem istuc quod vos auguramini haud futurum est. F. Magnos spiritus tibi in hoc artificio sumis.

DIA-

## DIALOGVS LXXXIII.

*Laus verecundiae.*

I I D E M.

**AEDESIMVS.** Quanquam verecūdia, id quod ostendimus, non est e sanctissimo splendidissimoque virtutum concilio, quibus vnis non solum maximè, sed etiam maxima laus & admiratio debetur, est tamē laudatione dignissima. **M.** Etsi hac de re nihil dubitauerim, scrupulum tamen quo moueor mihi eximito. **Æ.** Quis hic scrupulus? **M.** Ob motus animi, seu perturbationes aliquis nec laudē quēquam, nec vituperatione afficiēdum putauerit. Atqui verecundia motus est, siue affectus. **Æ.** Vniuersè seu generatim consideratæ affectiones nec reprehensionem habent, nec laudem aliquam. Nihilominus quædam certo modo sese habentes, & quatenus indicia atque argumenta seu imagines virtutum vitiorūq; sunt, vel laudari, vel vituperari consueverunt. **M.** Respondum breuissimè & rectissimè. **Æ.** Hæc igitur, cuius ex omnibus animantibus solus homo est particeps, certissima est bonæ indolis nuntia. Vnde Cato magis sibi placere iuuenes aiebat qui rubescerent, quàm qui pallecerent: quod uimirum egregiam indolem rubor arguat, non autem

autem pallor. Et Seneca, recta ingenia, inquit, debilitat ve e cundia: parua confirmat audacia. Bonæ indolis, inquam, bonæque spei nuntia est minimè dubia. Nutriendus pudor (est apud eundem philosophum, quem admiratione quadam eius sapientiæ commotus libenter verborum meorum testem adduco, & in eius chartis aurea quædam dicta, vt floriferis in saltibus apes libenter depascor) qui quamdiu durauerit in animo, aliquis bonæ spei locus erit. Huic consentaneū est illud Plauti nostri in Bacchidibus. Nam ego illum periisse duco, cui quidem perit pudor M. Testatissima & cognitissima dicit. Sed te interpellare parcam. Æ. Verecundia in moribus est tanquam gemma rutilans, pudicitia comes, naturæ commendatio, famæ custos, virtutis fundamentum, honestatis nota, innocentia testis, ornamentum vitæ rerum decentium honestarumque procreatrix & alumna, omnis turpitudinis inimica. Huius color est pulcherrimus, vt accipimus interrogatam respondisse filiam Aristotelis Pythiadem. Est quippe virtutis color, vt confirmabat Diogenes, cum verecundo rubore perfusum adolescentem intueretur. Et profecto nihil fieri potest pudibundo adolescente amabilius. In quo quidem ætatis gradu, in adolescentia inquam, magis se prodit hic affectus: propterea quod & tenera est frons iuuenum, pudoris sedes, & calor aliquanto maior, qui sese cum sanguine in faciem spargit, quoties erubescunt.

cunt. Præterea in corporibus naturaliter ventis ac decoris nescio quomodo magis decorat, magisque pulchrè est verecundia, & veluti ars probati artificis, in materia commodiore ac meliore perfectius eminet atque elucet. M. Ciceronem ne omiseris. A. E. In Partit. extremis. Custos virtutum omnium, dedecus fugiens, laudemque maximè consequens verecundia, inquit. M. Dictum Ciceroniane hoc est breuiter, eleganter & grauiter. A. E. De laudibus pudoris ad necessitudinem rei dictum est, opinor, satis. M. Non quidem mihi. At enim in tuo sum arbitrio, sequar quo me cunq; duces.

## DIALOGVS LXXXIII.

*Adolescenti. o propriam esse verecundiam.*

I I D E M.

**AE**DESIMVS. Magno in errore plerique versantur, qui nobis hoc loco est coarguendus, Arbitrantur enim cuiusq; ætatis pudorem esse. M. Hem, ergo non est? putauit id ego quoque vsque ad hoc tempus, nec desistam à sententia, nisi disputatio tua penitissimè eum ex animo meo deleuerit. A. E. Deo auspice delebitur. M. Cuinam ergo ætati minus congruit? A. E. Virili, & senectuti. M. Senes igitur poterunt esse per te inuerecundi. A. E. Malè ratio

ratiocinarius, non hoc dico. M. Quid igitur dicitur quorum est? A. E. Adolescentum seu iuuenum, sicut virorum constantia & grauitas. M. Si verbo & affirmatione sola hoc probas, sola negatione id refello. Tu me auctoritate, uti Ciceronem Plato, non franges. A. E. En tibi rationem. In omni re consensus omnium gentium lex naturæ putanda est. N. Ita quidem. M. Tullius, & rectè. A. E. Et hac ille consensione, ut scis, ad docendam animorum immortalitatem utitur. Cur nos eodem consensu in re minore non utamur? M. Vtere. A. E. Omnium mentes hac imbuunt opinio, pueros & adolescentes oportere verecundos esse. M. Etiam viros oportere, etiam senes. A. E. Aliter est. M. Cur aliter? A. E. Cognosces. Equid laudamus adolescentes, si erubuerint? M. Certè. Teneo quid apud Terentium Menedemus de adolescente filio pronuntiet. Erubuit salua res est. Quibus verbis bonam sibi de eo spem pollicetur, quia rubore perfusus sit. A. E. Nunquid etiam laudamus viros atque senes? M. Hoc dicere vix ausim, & metâ cito depulsus esse de sententiâ pudet. A. E. Pudendâ verò, si in ea persisteres. M. Quare non iis similiter laudè impertimus? A. E. Quia nihil ab iis committendū censemus, cuius causa verecundari debeât. Iâ si ego quippiâ te faciendū videam, nec propterea te commendè, argumento erit, id tibi reuera honorificū non esse. Ideo autem non esse, quod tuarum partium proprie non sit. M. Plus desidero, non dū enim pla-

nissimè intelligo, qua de causa iuuentutis propria sit, non illa quidem virtus, sed quasi virtus, seu virtutum propinqua & soror verecundia, & quamobrem ita existimemus. *Æ.* Quod iuuentus magis perturbationum diuersarum tempestatibus agitur ac circumfertur. Cui ætatis freta primitus insinuantur, vt est apud Lucretium. In qua summa consilij leuitas, mira animorum inconstantia & effrænatio, ira, superbia, temeritas, libido, luxus, vt in verba paucissima conferam, ad omnem licentiam improbitatemque nõ parua procliuat. *Accedat orationi meæ testis Horatius:*

*Imberbis iuuenis tandem custode remoto*

*Gaudet equis, canibusq; & aprici gramine campi:*

*Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,*

*Vitium tardus pronisor, prodigus aris,*

*Sublimis, cupidusq; & amata relinquere pernix.*

Cum itaque certum sit, cæcis cupiditatibus adolescentem transuersos rapi solere, à gubernatrice verecundia prohibetur, quo minus easdè expleat, & ad virtutis calcem, sicubi deflexerint, reuocatur. *M.* Quid autem est, quod Plato (quem ego auctorem vehementer sequor, cum tu in Aristotelis verba iurasse videre, quem legere non ita curæ mihi est) in Protagora scriptum reliquit, Iouem dum metueret humano generi, ne periret, misisse Mercurium, qui pudorem & iustitiam ad homines adduceret, vt nimirum essent ciuitatum ornamenta, sancteque inter ciues amicitia

citiæ conciliatrices, quæ illos arctissimo nexu  
 ac fœdere copularent? Paulo post cum interro-  
 gasset Mercurius, deberetne illas vniuersim om-  
 nibus distribuere, an ita, quemadmodum artes  
 essent distributz? omnibus, inquit Iupiter, om-  
 nes illarum participes sunt. Legem verò meo  
 nomine perfer, vt qui pudoris & iustitiæ capax  
 minime esse poterit, velut ciuitatis tæterrima  
 læs & pestis è medio tollatur. Velim refutes  
 hunc doctorem. Tu ais adolescentibus tantum  
 conuenire. Plato omnibus. Æ. Primum, non  
 quidquid apud Platonem dicitur, hoc ex ipsius  
 Platonis aut Socratis mente dicitur. Differit au-  
 tem hæc in eo dialogo Protagoras. Deinde aio,  
 conuenire quidem singulis, at non omni ætati:  
 & aliquando capi nomen verecundiæ pro qua-  
 uis mali formidine, vitiatione flagitij, & cupidi-  
 tate honesti: seu, non pro repentina illa commo-  
 tione, qua quis subito perturbatur, quam etiam  
 à viro probò alienam esse vult Aristoteles. sed  
 pro inhzrenti quadam in animo affectione, quæ  
 à turpium rerum actione nos deterreret, nec aliã  
 turpitudinem, nisi quæ virtuti est contraria, re-  
 formidat. Potest denique; ita in omnem ætatem  
 conuenire, quoniã sunt nonnulli annis senes,  
 moribus & ingenio pueri: quos præ pudore sibi  
 à sceleribus temperare, quam illo solutos in fla-  
 gitia ruere melius est. M. Tibi quidem persua-  
 sisti, Aristoteli non esse contrarium Platonem:  
 mihi sanè quidem persuadere videris voluisse.

AE. Integrum tibi est sentire quod lubet: probabilia coniectura sequor: ultra enim quo progrediamur in doctrina morali, non habemus. M. Pertinax numquam ero, tibi que, si quoquo modo probabis mihi ea quæ dices, non cunctabundus assentiar.

## DIALOGVS LXXXV.

*Quæ res verecundiam pariant.*

I I D E M.

**M**ISADOXVS. Quæ esset natura verecundiæ, quibus quantisque laudibus celebraretur, & in quam aetatem præcipuè conveniret perspicua me & diserta oratione docuisti. Quæro nunc abs te, quæ sint ea, ex quibus illa gignitur: ita sciemus nos, qui iuveniles annos nondum transgredimur, quæ fugienda nobis sint, ne in ruborè coniciamur. Quod tametsi pulchrum, nihilominus committere ut erubescendum sit, terribilissimum existimo. Non enim pudendo, sed non faciundo id quod non decet impudentiæ nomē effugere debemus, ait Cicero. AE. Nulla est insignis atque singularis turpitudine nisi quæ ab animi pravitate aliqua profluxerit. Illas igitur pravitates in primis vitare moneo, si ignominiam, quæ turpitudinis pedisequa est, effugere concupiscis.

piscitis. M. Vitabimus, si recensueris, tuòq; more singula illa straueris. A. E. An tu censes decorum esse, deserere aciem aut præsidium, abiicere clypeum, & fuga salutem quærere? M. Apud Lacedæmonios quidem probro summo datur. Hinc virago illa poetarum versibus tam decantata, quæ inermem conspicata redeuntem à pugna filium, hasta eum transfixit vt degeneret. A. E. Apud nos etiam eadem res insigni est infamia. Scis ex quo tandem vitio manat hæc actio? M. Quis non videt? ex timiditate & animi molitia, quæ eiicienda est. A. E. Caueant ergo timiditatem verecundi: ne, impendente periculo, ipsi se in pedes quantum queant. Et hoc in vno quodam genere dictum, ad alia similia accommodetur: quomodo ea quæ sequuntur. Caueant item iniustitiam, vnde nascitur non reddere depositum. M. Sempèrne reddendum? A. E. Pro me Cicero respondebit in officiis. Honestæ enim quædam temporibus commutantur, fiuntque contraria, vt reddere gladiû furioso, Hoc relinquendum est prudentiæ, quæ talibus moderatur. M. Duo vitia cõmemorasti, cætera, & quidem cõplura expecto. A. E. Non proferam omnia, nam ex iis quæ dixero, quæ sit aliorû ratio pro te animaduerte. M. Optimè tibi iacta sunt fundamenta, alacriter ædifica. A. E. Afficiunt etiã pudore, quæ ex intemperatiâ proficiunt, vt sunt ventri, Veneri esse deditû. Item quæ ex auaritia illiberalitate, vt lucrû facere: aut ex pusillis abiectis-

que rebus, aut ex turpibus, aut ex iis, vnde fieri  
 non posse videatur. Nec copia sua alicuius t enu-  
 itatem subleuare, aut parcius eidem subueni-  
 re, taleq; auxilium petere a tenuioribus, & qui-  
 bus minus est rei familiaris. Quo de conque-  
 ritur apud Terentium seruus: Quam inique com-  
 paratum est, inquit, i) qui minus habent, vt sem-  
 per addant aliquid ditioribus? Et mutuam cape-  
 re pecuniam cum quis a te petiturus videtur. &  
 petere, cum aliquem repetiturum: aut repetere  
 cum eum a te petiturum suspicaris, laudare que  
 aliquid, vt illud petere iudicaris. Mox est quip-  
 pe ingenuis ac liberalibus viris, cum persentiunt  
 aliquem re quapiam, cuius ipsi sint domini, val-  
 de affici, vltro eam donare. M. Aceruasti exem-  
 pla, quibus vnum quoddam vitium declarares.  
 Veruntamen hanc ipsam declarationem vt de-  
 clares rogo. A. Sic faciam. Legistine quid Vef-  
 pasianus Augustus fecerit? Quidnam? A. Ex lo-  
 tio vestigal sibi pendere volebat: quod Tito eius  
 filio Imperatori longè omnium Imperatorum  
 humanissimo summo pudori fuit, qui & pa-  
 trem hortabatur, ne ex tam sordida re quastum  
 faceret. Auari item, vel pauperes & mendicos  
 suis bonis qualibuscunque exuunt, & si possent  
 a mortuis tributum exigent. Nec, quamuis  
 cognatus fuerit, vel mediocri seu pecunia, seu  
 rerum aduictum pertinentium auxilio eius ege-  
 statem consolantur. Simulant sese egere: similes  
 Gellio illi apud Martialem, qui in a dithicando  
semper

De Angustiano et de Carra

semper erat occupatus, quò petētibus nummos amicis facilius denegare posset : quia videlicet magnos ipse in ædificatione sumptus toleraret. Est autem nimis perfricta frons eorum, qui cū apud amicum aspexerit quod ipsis placeat, mirificè illud, & coram laudare non cessant, seque eius percupidos demonstrant: ob quod Verrem Cicero accusat. M. Pauca scelera nominari posse arbitror, quibus non se nobilitauerit hic Prætor inclytus. Æ. Pauca. Ab ingenuo item procul abest assentatio: cuius est in os laudare, & bona quæ laudem merentur præter modum extollere: mala verò quasi inducere & oblinere, ac nõ modò cum ridente ridere: sed etiam cum plorante plorare, & maiorem quandam animi dolorem ostendere, quam ille ipse ostendat, cuius est calamitas. Est insuper plenum opprobrij, non posse eos labores perferre, quos vel grandiores natu: vel qui delicatam & deliciis referram vitam agitant: vel qui in aliquo amplitudinis gradu locati: vel denique viribus imbecilliores: & idcirco laborum impatientiores sunt, perferunt. M. Pigritiam damnas (si rectè mentem tuam interpretor) quæ est metas laboris. Æ. Rem loqueris. Et cum magnanimi sit, velle potius dare, quàm accipere beneficium, oportet eos qui sæpe ab eodem beneficium accipiunt, esse minori animi, parumque pudentis. Est præterea vt equè turpe, sic æquè humilis abiectiq, animi signum, exprobrare cuipiã beneficia: quæ obliſci debet

qui contulit, meminisse, qui accepit. M. Profe-  
ctò omnes, etiam serui, indignamur; cum quis  
sua nobis merita obiicit.

*Sed mihi hoc molestum est: nam isthac commemoratio  
Quasi exprobratio est immemoris beneficii.*

ait Sofia apud Terentium. A. E. Deforme est itē  
de seipso predicare, & cum irrisione audientium  
imitari militem gloriosum. M. Thraſonem vi-  
delicet Terentianum, & Pyrgopolinicen Plau-  
tinū. A. E. At enim si vituperandi & infames sunt,  
qui sua iactant, quid illi qui aliena pro suis ven-  
ditant? arrogantissimum genus hominum. Quæ  
cunque demum à vitiis manantia, & notæ etiam  
vitiiorum, & quæ cum vitiis cognationem aliquā  
habent, existimationem lædunt, & cogunt eru-  
bescere. Reperitur quispiā in lustro inter mulie-  
res parum honestas potitans: turpis actio & vere-  
cundia digna. Loquitur verbis parum tectis: vi-  
detur animo parū casto: Interrūpit orationē grā-  
davi, aut ei non assurgit: hoc non quidē vitium,  
nec nota vitii, attamen quasi vitium, seu vitio si-  
mile est. Neq; vero duntaxat vitio deuinctum,  
verum etiam ab honestis rebus vacuum esse de-  
decus conciliat: ab iis nempe, quarum sint parti-  
cipes aut omnes, vt si omnes nobiles studia lite-  
rarū colerent, turpe esset nobili refugere à lite-  
ris: aut omnes similes, qui sint, inquā, eiusdē. gē-  
tis, ciuitatis, ætatis, familiæ, & qui æquo iure vi-  
uunt, hi, scilicet, aut saltem plurimi horū. Atq;  
hęc eoturpiora, & magis probrosa erūt, si nostra  
culpa

culpa accidisse putabuntur. Sic namque ab animi vitio processisse intelliguntur, in quo turpitudinis maiores partes constituimus. Plura afferre de hoc capite superfedebam, ne tibi molestus sim. M. Molestus? Si summa iucunditas est vocanda molestia. Sed cum ostenderis quæ parerent verecundiam, consentaneum est ut nunc doceas, apud quos pariant, seu quos vereamur. A. E. Aggrediamur ad hoc ipsum.

## DIALOGVS LXXXVI.

*Quosnam vereamur.*

I I D E M.

**A** E D E S I M V S. Qui verecundia commouentur, aliud nihil timeant, nisi ut ne in existimationis suæ, & bonæ famæ iacturam incurrant, non sanè, ne aut pecunias amittant, aut in re alia damnificentur: quanquam fermè accidit, ut præter opprobrium seu ignominiam etiam aliquod cuiuspiam rei detrimentum consequatur. Verùm id homo verecundus non tanti æstimat, ut diximus, cui studio est tueri famam ac nomen suum, non quidem apud omnes, sed apud illos, qui de se existimare iudicareque sincerè possint. Huiusmodi sunt quorum rationem ducimus, quos proinde vereri, & propter quos

eru.

erubescere solemus. M. Suntne hi vnius, an plurium generum? A E. Plurium. M. Cedò. A E. Primum qui nos admirantur, propter bonum videlicet aliquod honore prosequendum. Deinde quos nos ob eandem causam admiramur. Tum à quibus coli nos volumus. Postremò quibuscù de honore concertamus. Ac denique quorum opinionem non contemnimus. A quibus in super aliquid impetrare, quod sit in ipsorum potestate, ardenter cupimus. Conuentus item publici, seu multitudo & còspectus hominum pudorem incutit, seu cum peccauimus, seu cù peccaturos nos timemus: quam plurimos enim offensionis nostræ testes & conscios intuemur, vt Demosthenes, Theophrastus, Cicero timore nimio expalluerunt, atque idcirco in concione dicturi obmutuerunt. Confitetur etiam L. Crassus. i. de Orat. se exalbescere in principijs dicendi solere, & tota mente, atque omnibus artibus contremiscere. Adolescentulus verò, inquit, sic in initio accusationis exanimatus sum vt hoc summum beneficium. Q. Max. debuerim, quod continuò consiliùm dimiserit, simul ac me fractum, & debilitatùm metu viderit. Hinc nox pudore dicitur vacare, quia noctu neminè videmus, & videmur à nemine. M.

*Nox, & amor, virtutemque nihil moderabile suadent*

*Illam pudore vacat, Liber amorque metu.*

Quoniam præter hos? A E. Qui iisdem culpis obnoxij non sunt. Contra, eiusdem improbitatis amen-

amentiaq; socij inter se non erubescūt. Ebrius apud vinolentum, latro apud latronem, fœnerator apud fœneratorem. Ad hæc qui feueri, & ad tribuendam peccantibus veniam haud quam faciles sunt: propterea scilicet, quod ipsemet ea non perpetrant, quæ si perpetrarent, in alijs non damnarent: nec enim fur furi non libenter ignoscit, neque illi suum crimen obiectat. Cauemus item ab ijs, quos delicta nostra enuntiuros suspicamus, quæ occulta esse, & ignorari optamus: malumus enim aliquando boni haberi quàm esse multoque magis timemus hominum, quàm Dei amicitia excidere. M. Qui facilè enuntiant? Æ. Iniuria læsi, maledici, derisores. M. Quos adhuc veremur? Æ. A quibus nihil vnquam frustra petiuimus: istis enim videmur admirationi esse. Et eos qui tum primum à nobis petunt aliquid, quos apparet bene de nobis sentire, nosque probos & officiosos existimare. Atque ideo denegare quippiam nos ijs pudet ne mox in aliam de nobis & contrariam opinionem veniant. Ad extremum, veremur nō modo viros graues, verum etiam eos, qui ad ipsos facta nostra perferre possunt: vt sunt illorum serui & amici: hos colimus hilariterque excipimus dominorum gratia, quorum fauorē & beneuolentiam aucupamur. Atque hic etiam receptui cano. M. Hic tuus labor me locupletauit opibus & pulchris, & nulli fortunæ dominationi subiectis.

## DIALOGVS LXXXVII.

*Impudentia.*

A. R. E. T. A. E. V. S., A. E. D. V. M. E. N. V. S.

**A**R. E. T. A. E. V. S. Sicut virtutes morum suos, & quidem innumeros laudatores inuenerunt, ita quoque vitia non paucos vituperatores. Ac proinde quantum illorum voces ad amplexandam honestatem, cuius parens & effectrix est virtus, tantum istorum oratio ad detestandam turpitudinem, cuius est mater vitiositas, excitare & commouere nos debet. A. E. Nec tantillum à tua sententia meum discrepabit vnquam iudicium. Quod autem vitium maximè iubes me execrari, & omni ope fugere? A. Impudentiam, Græcis, ἀνεχθύντιαν. A. E. Quibus eam verbis definires? A. Quibus Aristoteles, Est, inquit, contèptio quædam, & firmitas animi aduersus ea mala, quæ pudorem incutiunt. Contemptus est honoris, videlicet ac famæ, ignominia quæ ac dedecoris voluntaria deliberatâq; patientia. Seu effrenata licentia ad turpitudinem: quo, per Deum immortalem, quid omni verborum acrimonia & contumelia dignius? quid detestabilius: quid bonæ spei super sit in tali homine, qui iam frontem, faciem, os, perfricuit; hoc est, omnem à se

verre-

verecundiam remouit, longissimèq; proiecit?  
 Qui est ore ferreo, effrens denique: nam hæc  
 singula contra impudentes valere quis nescit?  
 qui etiam canibus comparantur, quadrupedi-  
 bus (vt norunt omnes) inuerecundis. A. E. Cur-  
 rentem me, quod aiunt: fuit enim mihi semper  
 odio hæc peruersitas, vt incredibili amori inge-  
 nuus pudor. A. Satis odisse non potes istum in-  
 ter homines omnium morborum grauissimū,  
 vt Euripides, istamque ad omnem turpitudinē  
 ducem maximā, vt Xenophon appellauit. Per  
 quam decorum viteque honestas, & modus om-  
 nis despicitur, & ad quælibet vitio (quandæqui-  
 dem non timentur) via panditur. A. E. Cum cer-  
 namus iisdem nonnunquam sese cupiditatibus  
 atque delictis deuincire pudoris amantes, qui-  
 bus inuerecundos, crediderit quispiam nihil  
 inter hosce homines interesse. A. Crediderit,  
 sed auis à vera longè ratione vagabitur, vt ait  
 Lucretius, Tantum inter vtrosque differt, quan-  
 tum dici vix potest. A. E. Tu hanc differentiam  
 explicato. A. Cum delinquant, aut deliquerūt  
 pudentes, capiunt animo dolorem, & molestia  
 idcirco afficiuntur, at impudentes molestia-  
 rum securi, lætantur etiam. Et illi facillimè per-  
 turbantur, cum obijciuntur non ea solum, quæ  
 verè sunt turpia: sed etiā, quæ turpitudinis spe-  
 ciem ac faciem quandam gerunt (quanquam  
 hoc magis vitiosi quàm iusti pudoris est indi-  
 ciū) iusti omni metu vacantes ac liberi, ferūtur  
 auda-

## DIALOGVS LXXXII.

audacter in facinus. Nam cum semel verecūdiæ septa sineſque tranſilierint, oportet eos bene ac nauiter eſſe impudentes, Æ. Probè diſtinxiſti, ita eſt, A. Quid ad famā in honeſtius amoribus meretricijs? tamen impudens alienæ pudicitia vitium addere, & alijs quoque facem præferre ad libidinem non verebitur. Quid auaritia fordidius & probroſius? tamen impudens abradet pecuniam vndecunq̄ poterit. Quid aſſentatione foedius? tamen impudens palpo percutere, & adulari potentibus non ceſſabit. Ingluuius & crapula quantum habet infamiae? at illa infamia inuerecundum ingenium nihil conturbat. Quā eſt turpis & plena dedecoris oſtentatio? ille tamen ſe oſtentare ac palam dilaudare non intermitteret. Quidquid animo collibitum fuerit, ſeu honeſtum ſeu inhoneſtum ſit, eo ſe dabit. Et cū camelos glutiat, nunquam proſecto culices excolabit. Æ. Quid hoc ſibi ſignificat? A. Cum facta ipſa turpia non reformidet, ſigna & iudicia eorundem multo minus reformidauerit. Si audeſe ſe adulterio polluere, non erubeſcent in verbis impudicis. A. E. Qui hoc negat, idem neget lucere meridie. Atque idem iungat vulpes, & mulgeat hircos.

## DIALOGVS LXXXIII.

*Immodica verecundia.*

I I D E M.

**A**RETÆVS. Agamus etiā inter nos, quando ſumus otioſi, de pudore non probabiliter

babili qui verecundiæ, quæ melotes seu me  
 mediocritas est, perinde vt alterum extremum,  
 impudentia scilicet aduersatur. Æ. Id ipsum abs  
 te rogaturus eram: bene habet quod me antever  
 tisti. Ast ego auditoris & discipuli, quam dispu  
 tatoris partes malo obtinere. Mea enim doctri  
 na exigua, & potius inscitia est, si cū tua sapien  
 tia conferatur. A. Nimis sumissè ac modestè de  
 te, nimis gloriose & clatè de me. Quod igitur i  
 quibusdam herbis sponte sua è terra nascenti  
 bus, idem quoque in affectionibus vsu venire sta  
 tuendum est. Æ. Quo tu ire contendis, eò iam  
 præuolat cogitatio mea. A. Etenim vt illæ non  
 solum agrestes planè, atque inutiles sunt, verum  
 etiam bonis ac frugiferis perniciosæ, & inimi  
 cæ: & quemadmodum coloni non ideo agrum  
 esse malum seu macrum, quin potius pinguem  
 ac fertilem iudicant, cum tales herbas effundat:  
 sic affectus nonnulli cum per se bonitatis nihil  
 habeant, & malorum quorundam causa sint; ni  
 hilominus tanquam germina & symbola sunt  
 mentis bene constitutæ, quæ à ratione culturam  
 possit accipere. Huiusmodi est pudor vitiosus,  
 Græcis dysopia. Æ. Istud vocabulum enuclea  
 ri velim: nimis enim leuiter græcas literas atti  
 gi, cuius me inertia poenitebit, quoad mors mi  
 hivoluitales animæ nodos è corpore soluet. A. Enu  
 cleabo, faciamq; vt huius motionis naturam cla  
 rius perspicias. Iuncta est vox ex particula,  
 dys, & ops, Hæc oculum seu aspectum,

Q

illa

illa autem alias quidē difficultatem, hoc loco nō solū difficultatem, sed, vt ita dicā, impossibilitatem significat. Nam dysopia non tantum est difficultas præ pudore in eius vultum intueēdi, qui aliquid abs te petat: sed in eo ponitur, quod est, non posse quippiam à se petentem contra aspicere, qui sit immodicè verecundus. Itaque circuitio hæc, seu periphrasis, ad huius vocabulī notionem, originem atque vim ostendendam necessaria est: quæ minimè animum subeunt, cū hæc vox græca, seu vitiosus, seu immodicus, seu immoderatus pudor, seu vitiosa, immodica, stupida verecundia, vt vulgò, redditur. Aristoteles immodicè pudentes in Ethicis cata plègas, nominavit: qui scilicet ad omnia trepidant, & præ pudore velut attoniti, percussī, consternati & obstupefacti sunt. A. E. Disertè & apertè Græci nominis vim explanasti, in quo inest magna quædam emphasis. Nec inuenista fuit illa, à quo disputationem exordiri voluisti cōparatio. Nihil occurrit quod aut interrogem, aut opponā: nec fortasse deinceps occurret. A. Vtriusq; faciēdi libera tibi potestas datur. A. E. Noui humanitatem, & inclinātā ad me erudiendū voluntatē tuā. A. Quomodo porrò impudentes continenter nimirūq; fixè aspiciendo animū pertinacē ac rigidū: sic stolidè verecundi nimirū deiiciendo vultu satis mollē ac muliebrē præ se ferunt: suumq; morbum excusantes, non dubitant eū pudoris nomine cohonestare: in quo quidem ab  
 impu:

Impudentibus superantur. Non est temperans, o boni viri, qui nihil edit aut bibit: quamuis intemperantissimus sit, qui comessatur & vomit. Eodem modo non est verecundus, qui neminẽ intueri, neminem audet affari: quamuis sit longẽ inuerecundissimus, qui vtrumuis semper, & vbiuis & apud quosuis audet. Quamobrem & quod o aneschintos, & quod o cataplex, committunt, vituperandum est: permiscenda autem & temperanda hæc duo, quò & à perpetuo intuitu proteruitas, & à nimia modestia mollities imbecillitasque tollatur. A E. Verumenimvero, cum ista dysopia sit velut herba noxia in segete, vt dixisti, facilẽ poterit euelli. A. Non etiam ad hoc valet ablata similitudo. Negotiosum est isti malo curationem admouere: tenera est siquidem & delicata pars animi, & superuacaneo pudore concutitur & quassatur. A E. Esto quamuis tenera, quid tum postea? A. Agricole arbuta, syluestriaque germina exurunt, & radicitus extirpant, vntem aut oleam putaturi cautẽ manum applicant formidantes ne quid sanum resecent. Ita medici cultoresque animorum philosophi, cum in libidinem, inuidiam; ceterasque huiusmodi pestes veluti stirpes inutiles eximere volunt, possunt vulnus altum dare, ferròque & igni scire, si non satis prudentes atque cauti sint. Sed cum ab isto de quo agimus vitio adolescentum animos deterrere, seu cù pudorem istum non ingenuũ amputare instituunt, curandum illis, ne si-

mul ingenuam amputent, eosque audaces præfractosque efficiant. Æ. Tamen inuenietur, aliqua abs te medicina, vti spero. A. Inuenietur, tecumque communicabitur, si prius quæ incommoda seu detrimenta hinc inuehantur consideraerimus.

## DIALOGVS LXXXIX.

*Damna, quorum auctor vitiosus pudor.*

I I D E M.

**A**RETAEVS. Intempestiua hæc ve recundia ab eruditis scriptoribus in eo potissimè collocatur, cum quis trepidat & percellitur animo in omnibus, nullam petitionem à se repellere, nihil recusare, nunquam contradicere potest: ne scilicet vt durus, inhumanus, & inexorabilis per ora traducatur. Hic paucor, difficile narratu est, quam multa inconsulto & dicendo & faciendo peccare homines compellat, & quam ingentem aditum fenestramq; cupiditatibus ac facinoribus multis aperiat. Æ. Vt miserum est inde laedi, vnde laudè commodum expectabas? A. Certè miserum. Pudor moderatus custos est pudicitia. immoderatus eiusdem aliquando corruptor ac proditor? & dum veretur blandientibus, rogitantibusque, & omnia pollicentibus repugnare, ipse expugnatur.

natur, intemperantiæque seruitutem turpissimam seruit. A. E. In adolescentiam & mulieres hæc dicis, vt opinor. A. In eos cum primis, nihilominus etiam in viros, quos, est quando pudoris pudet. A. E. Qui nam? A. Quia mutuum dant, à quibus se data recepturos parùm sperant. Quia fidem suam interponunt, pro quibus minime vellent. Quia concedunt annos, quibus nec triduum concedendum putant. Sed audi mirabilia. Memorant quosdam historiæ veteres, qui cū venena sibi misceri, necemque parari suspicarentur, præ stulto & nimio isto ac pernicioso pudore sibi cauere non sunt ausi. A. E. Heu, cadit in quenquã tantum scelus? Quisquam se aut tam insipienter diligere, aut tam grauitè odisse potest? A. Exempla Dionis Antipatri, Herculis, Alexandri & Barfines filij apud Plutarchum libello peri dytopias tu ipse leges, vbi volueris. A. E. In hoc ordine numerandos duco quos audiuimus, cum essent Catholici, factos ebrios iusiurandum dedisse sodalibus ac ducibus Lutheranis, sese comites ipsorum in castra aduersus Ecclesiam Catholicam ituros. Res iure iurando sancita est, inqueiebant, seruanda est fides. At hi magnoperè à verò, longèque errasse videntur, malèque Ciceronem legerant, qui promissis eiusmodi non esse standum, quæ plus nocet, promissori, quàm profunt ei cui sunt promissa, prudenter monet. Quis autem non intelligit, scientem ac volentem afferre interitum defen-

foribus veritatis, cum scelere mortifero copulatum esse: præ pudore igitur pacta iniqua rescindendi, animas suas isti quodammodo interficiunt.

A. Bellè tibi conclusa est ratio. Possim etiam ostendere, quàm impudenter in eroganda, collocandâq; pecunia versentur, quam sæpe conferunt in indignos: timent enim ne præparci, aut nescio cuius rei obliti existimentur, & ita opprobrium vitare moliuntur. Quomodo item, cum in afflicta valetudine non audent quem norunt peritissimum accersere medicum, ne vel familiaribus vel medico familiari displiceant. Cum filiis eos magistros præficiunt, non qui sunt valde idonei: sed qui id ab ipsis enixè contenderunt aut quos alij commendarunt. Cum iniudicio nō disertissimos, & rerum forensium quàm scientissimos, sed amicum aliquem, aut amici nepotem causam agere suam, & licem perorare sinunt. Ac reliquas quidem libidines ubi ad rem collata fuerint, pœnitudo sequitur: hîc ipsis factis cōglutinata est. Æ. Nempe quia nec dat, nec accipit, nec fert opem, nec obsequitur, nec laudat nec vituperat, nec promittit demū aliquid occatplex, Quin mox illum redarguat, & fodicet animus. Ecquid scâs assequor tuū sensum? A. Satis. Diserutiantur, inquam, dum exercent vitiositatem suam: cū si rectè facerent latarentur potius: nā honesta facta gaudium, turpia dolor comitatur. Quid verò mali, vnum non posse omnia? si nō potes omnia, cur promittis tamē omnia si qua

si qua in potestate nostra, & viribus æqua fuerint, si cum honestate consenserint, in iis operã officiumque nostrum aliis non pudore impulsis, sed sponte præstamus. *Æ.* Nam hoc ipsum ita iustum est, quod rectè fit, si est voluntarium, inquit Cicero. *A.* Fit præterea in pudore vitioso, quod in cæteris illaudatis affectibus fieri experimur. Nam ut ibi sequuntur, quæ per illos effugere laboramus: ut ambitionem ignominia, voluptates dolor, mollitiem laboris, immodestum vincendi studium vinci ac superari: sic immodicè prudentes, à quibus sibi cauebant, in ea ipsa de decora incurrunt. *Æ.* In vitium dicit culpæ fuga, si caret arte. *A.* Petit quispiam à me iniustum aliquid, ego præ verecundia non recuso: alius, ad quem iniuria pertinet, me in ius vocat. Promissi pecuniam quam non habebam: exigit à me cui promissi: mendacis redarguor. Et cætera ad eundem modum.

## DIALOGVS XC.

*Duplex curatio huius vitij.*

I I D E M.

**A**EDVMENVS. Manifestissimè cognoui, quæ, qualia, quæq; multa damna importet vitiosa verecundia. Quamquam enim tu pauciora percensuisti, ego tamen ex his reliqua coniicio. Nunc quod

quod medicamentum istis a grotis salutiferum credas, audire studeo magnoperè. A. Ratio & exercitatio medicinam afferre debent hoc morbo implicitis. A. E. Fusius ista quæso. A. Docendus est, quem hic stupor oppressit, quèmq; velut captiuum coerces hæc insania, se affectu nocenti, ac propterea in honesto præpediri: nihil quippe idem honestū quod noxiū. Quantum porro noceat, satis ex antegressa disputatione perspectū est. Et illa incōmoda cum exemplis inculcāda & obtrudenda sunt huiusmodi hominibus. A. E. Nihil dubitauerim, quin hæc ratio apud eos momentū ac pondus habitura sit: quādo quidē vnusquisq; suorū incōmodorū (vbi ea intellexerit) est osor maximus. A. Perutile quoque fuerit) nō pauca illustriū proborumq; virorū dicta & responsa mandasse memoriæ, quæ in stantibus nobis, & ad indecoras actiones vrgentibus obiiciamus. Exempli causa. Phocion Antipatro: non potes me simul amico vti & adulatore. D. Petrus, oportet, inquit, Deo magis obedire quàm hominibus. Locus hic peramplus est & innumera suppeditabunt responsa in omni petitionum iniquarū varietate, si quis vel modicè antiquitatē, & sacros itē Christianorū annales euoluerit. A. E. Recordor nonnullorum, quæ subiicerem, si docendi magis quàm discendi partes ab initio suscepissem. Nunc, cur ego & ineptus sim, & in mare aquam? A. An tu me omniū sæculorum memoriā gestare ceteris in pectore;

Multa

Multa quidē ego audiui, multa vidi, multa legi  
 at non multa memini AEdamene. Quare licet  
 oblitam moneas, si vti ignorantem docere me  
 non vis. A. Persequere cepta: mecū de isto con-  
 uenire nihil potes. A. Etiam per exercitationē  
 à vitioso pudore nos vindicabimus. A. Nimi-  
 rum? A. A paruis, vulgaribus ac minutis capien-  
 dum est principium, in quibus difficilè non sit  
 rectis aliquem oculis contra intueri, & flagitan-  
 tibus negare, ne sit de quā maiora petētibus respō-  
 deamus. In cœna fatis cūm biberis adhuc propi-  
 nat tibi aliquis nec paruum calicē: nihil inepto  
 pudori concede, excusa te & recusa, aut summo  
 ore attinge. Prouocat te quis ad lusum alegg: quā-  
 uis scias te petitum iri dicentis, ne lude, Si voce  
 re timidus idcirco, responde: fateor me timidū,  
 in his quæ honestatis sunt aliena. Incidisti in lo-  
 quacem, qui te complexus retinet: sermonem  
 tuū absolue, & veniam prefatus discede. Eius-  
 modi recusationes in minoribus adhibitæ, ad  
 maiora nos condoce faciunt atq; ad repellendū  
 deponendamque inutilem pudorem preparāt.  
 Sic Diogenes obābelans in Ceramico à statuis  
 flagitabat stipem. Id cūm alij mirarentur, ego,  
 inquit, in hoc me exerceo, vt assuescā æquo ani-  
 mo frustrari postulari. A. E. Quid eum interdū  
 laudant alij, quod nobis non videtur laudandū?  
 Vt in conuincto citharædus indoctè canit, aut in  
 theatro scenicus actor sinistrè suas partes agit,  
 plaudunt alij & commendant. Quid ego faciam,  
 Q5 plau.

## DIALOGVS XCI.

ne cogar erubescere? A. Audi cum silentio: ne laudaueris supra quam tibi videatur. Si hoc non potes in alienis, quid cum amicus incōcinnè & illepidè scriptam orationem, si carmen inconditum tibi ostenderit? Vlutabis cum Iupis, & eum reliquis adulatoribus laudabis, quod laudem non meretur. Quod si non potes non laudare vitiosa, idque in paruis rebus, dic mihi, quomodo in magno ac serio negotio offendentem audebis reprehendere? quomodo Rempub. aut Imperium non rectè administrantem admonebis? Æ! Quam commune ac latè patens malum, arridere ridentibus, laudare cum laudantibus, & cum reprehendentibus reprehendere, quæ in animo aut non ita probes, aut non ita improbes? A. Hoc ideo, quod latissimè regnat, & multorum est pudor vitiosus, quem nos, si sapimus, omni studio contentioneque fugiamus. Æ. Fugiamus.

## DIALOGVS XCI.

Examē.

## ADAVCTVS, OLIMPIVS.

**A**DAVCTVS. Examē, id quod nostri, propediem instruendum dies notèsq; ante oculos mihi obuersatur, penitusq; insedit in animo. O. Eadem res versat & coquit mentem meam. Si huic tã graui peri-

periculo creptus essem. A. Quod iterū iterūq;  
 ac sæpius per annū nō idoneas ob causas decli-  
 nauit iudū, id nunquā æquē sensi vt nūc sentio,  
 quātum dāni fecerim; quō circa nō mediocri in  
 dolo re sum. O. Me pariter æqualitèr; absen-  
 tiæ mez, quantūuis non tā frequētis pudet, pœ-  
 nitet, piget. A. Accedit ad exaggerandam ani-  
 mi ægritudinem, quōd diuinare non possum,  
 quænam interrogaturi sint illi. Quæsitores. O  
 Si scires? A. Addiscerem eā quā acerrimè.  
 O. Estne aliquis ex omnibus, cui hoc detegere  
 soleant? A. Nullus. O. Moderatè igitur feramus  
 commune malum. A. Timor item solet obstare  
 ne promam liberè & intrepide quæ scio: itaque  
 hæret mihi aqua sæpe. Hinc pro inscitia duci-  
 tur, quæ non fuit. O. Ego, ne vt errans aliquan-  
 tulum sinistrè respondeam, nihil quidquam ve-  
 reor: sed ne vt illiteratus planè illiteratissimè  
 respondeam, id verò non mediocriter pertimes-  
 co. A. Qui te ad istud tremēdū & horribile exa-  
 mē præparas? O. Quidquid audiui toti<sup>9</sup> anni cur-  
 riculo, sæpi<sup>9</sup> relego, ac repeto expositiones, quā-  
 tū me adiuuat memoria: in Cicerone, Grāmati-  
 cis, Christiana Catechesi. Vbi quid nō intelligo  
 de cōdiscipulis doctiorē aliquē interrogo. Ad-  
 hæc, denuo mōdo memoriæ præcepta pro virili.  
 A. Nimiū operosus labor est tā multa discere.  
 O. Operosus, at necessarius omnino. A. Certū  
 est tamē nō omnia quæsituros. O. Propterea in-  
 structum esse in omnibus cōuenit, quia q̄ ipsis  
 lubet

bet interrogant de omnibus, prudēter. Si enim ordine interrogare veliat vniuersa, idq; de singulis, nimis longum sit, & fastidij plenum. Qui porro quæstioni cuiusque aptè respondet, is totam videtur scientiam consecutus. A. Non stultè dictum, O si præterisset hæc turbulentissima tempestas. O. Subeunda & perferenda est, si optes ascendere. A. Tametsi hucusque segregavi à me ignauiam in ista præparatione, tamen cogor neruos magis cõtendere, tum ne reiiciar, tum ne de postremis fiam vnus, cui rei, præsertim quando est maior ascendentium societas magna adiuncta turpitudine & infamia. At enim nisi examen istuc impudens me adigeret, nunquam studia forent mihi tanti, vt eorum gratia caput affligerem. O. Non ob examen dütaxat, sed ob futuras quoque prælectiones melius citiusque capiendas audita repetenda & recolenda sunt: vt sic felicitus & fructuosus in superiore schola versemur. A. In scriptione haud leue momentum est, ibi barbarismos & solœcismos timeo, malas bestias. O. Non sine causa, mordē atrociter. A. Ex tempore, sine vlllo libro in schola de argumento improviso scribendū. O. Omnia denique ad exploratā progressuum nostrorum cognitionem capiendam instituuntur: ideo reprehensioni affinia nequaquam putāda sunt. Et cum huiuscemodi discrimina in annos recurrant singulos, nec vlla via euitabilia sint, redamur studiosiores: nunquam vidi diligentes

excludi. A. Opitulemur alter alteri in ista præparatione. O. Operam meam tibi promitto. A. Ego meam promitto vicissim.

## DIALOGVS XCII.

*Auditiones.*

ELEVTHERIVS, MODESTVS,  
DAMIANS.

**E**LEVTHERIVS. Cur vos, Modeste & Damiane, hesternaluce, & nudius tertius non affuistis in gymnasio? M. Nihil dissimulabo. Ob cruditatem minus bellè valui: nunc sum meliusculus. D. Ab amico in hortos suburbanos hoc mense anni amabilissimo & lætissimo inuitatus, recusare nec potuiessem, si voluissem, nec si maximè potuissem voluissem: est enim ille de amicis meis veterrimus & fidelissimus. Inde autem aliquanto post quàm putabam, in urbem reuerti. E. Undenam discetis, quæ nos interea Magister docuit? M. Legi iisdem de rebus, quem anno præterito accepi muneri à patruo meo commentarium. D. Ego ex autographo condiscipuli alicuius ea mihi describã. E. Arbitramini igitur vos isto modo eadem assecuturos, & intellecturos perfectè omnia? M. Quidni? Quin iam assecutus sum: nihil requiro. D. Per paulum aut nihil interest, ut qui.

quidem opinio mea fert, audiuerisne, an postea  
descripseris. Et hoc est cōmune eorū solatium  
qui vel voluntate, vel casu aliquo abfuerunt  
ludo: posse aliunde describere. Sunt qui nullū  
idcirco angorem capiunt, nec ideo fortunis suis  
desperant, quanquam mens totos docentē nō  
auscultauerint. E. Magno errore vterq; ducimur  
ni. M Si placet, demonstra nobis istū errorē. E.  
Longē præstat audire quàm legere, etiā si mul-  
tō diligentissimē legas. D. Quid ita verò? Non  
egemus libris disertis, elegantibus, eruditis, vnde  
de hauriamus scientiā, & quæ legimus, intelligi-  
mus: neq; enim adhuc nucibus ludimus, vt pro-  
inde iactura audiendi, paucorum præsertim die-  
rum, tam grauitē & inique ferenda non sit. E.  
Legēdi semper est occasio, nō est semper audie-  
di. M. Non sit: quid tū? E. Lectio solitaria est vo-  
luti quidā somnus, auditio veluti vigilia. Vnde  
vox Præceptoris magis nos afficit, plenius quæ  
si pascit & alit, & altius descendunt in animū, in-  
cōque tenacius in hærent, quæ pronūciatio, vultus,  
habitus, gestus docētis affixerit. Quid, quod in  
la moderatio & variatio vocis cuiusdā cōmentarij  
efficacitatem obtinet, & quædam eorū quæ  
dicuntur est illustratio? Quid, quod plura ferē  
dicuntur de vna eadēque re in schola, quæ non  
itē scribuntur, quia neq; possunt cōmode scribi,  
neq; vult ea Magister calamo excipi? M. Nihil  
ominus acriora absolutioraq; sūt, quæ legimus  
n auctōribus. E. Vt hoc cōcesserim, quoniam  
plus

plus operæ consumunt, qui libros edunt, quam qui desuperiore loco docent, tamen obscuriora & involutiora esse quæ scribuntur, tu mihi vicissim concedas oportet. Non enim se liber ipsemet explicat vt Preceptores facere consueverunt, qui multis exemplis, sententiis, argumentis vtuntur, & nihil quod verentur non intellectum iri prætermittunt quin declarent. Quod autem scriptum est semel, hoc per sæcula tale, quale fuit ab initio, siue clarum, siue obscurum, siue facile & expeditum, siue difficile impeditumque manet. Interroga millies quid hoc, quid illud sibi velit, nunquam respondebit liber tuus quem voluis. Conquerenti Alexandro Regi cū Aristotele, quòd libros Physicorū edidisset, quos Rex cōpressos teneri cupiebat; vt quomodo imperij, sic sciētie gloriaprestaret multis mortalibus: rescripsit Philosophus: sciret illos libros esse editos, & nō editos, neq; enim posse intelligi nisi ab iis, qui sibi docēti præsentibus dedissent operā. Præterea fieri aliquādo potest, vt tā probatus & doctus nō sit liber, & ita te parū adiuuet, quin immò multū tibi noceat. Atq; vt probatissimus sit, ego certè eximiū Preceptorē malo, quem tanquā ex multis libris vnum quendam, viuūmq; librū contēpler; qui scilicet multa & multos peruolatarit, & tāquā sedula apis è diuersorū flosculorū succo vnus cuiusdam dulcissimiq; saporis succū expresserit. D. Tā ingeniosi acutiq; nos haud eramus, vt ista animaduertere-

## DIALOGVS XCIII.

teremus, quæ tu nos modo nec opinantes docuisti. M. Ad tuam sententiam meum aggrego iudicium. Prouidebo vt post hunc diem audiam quotidie, nisi morbi alicuius grauitas prohibuerit, aut medicus publico abstinere edixerit. D. Ego in dies festos conuiuia, & hortorum istas inuitationes reijciam. E. Tantum tribui à vobis orationi meæ, & non displicuisse consiliū, magno perè. non mea quidem, qui tantum, nec agnosco nec postulo, sed vestra causa lætus sum.

## DIALOGVS XCIII,

*Industria discendi.*

GORDIANVS, ALEXANDER discipulus.  
MAGISTER.

**G**ORDIANVS. Ne defugas hoc officium, da mihi tantillum, mi Alexāder. A. Mitte orare tandem, en paratū habes, accedamus. G. Age sanè. A. Sollicitauit me dedam, & instigauit Gordianus, vt quidpiam tibi in percunctando ponerem, venerande præceptor. M. Quid est quod vicarium quaerit? ipse per se, si quid est opus interroget. G. Non videtur referre vter hoc faciat. M. Ergo ipsemet faciat. A. Impedit hominem adolescentiorem verecundia. M. De rebus à me explicatis, aut disputatis num est aliquid? A. Nihil tale.

le. M. Quid dicam fore? Enunciate paucis. A. Auemus scire nos duo, quinam discipulorum tuorum tibi in præcipuis sint amoribus: & hoc est, quod te conuentum volebamus. M. Etsi questionem affertis neque tantopere vobis vtilem, attamen responsum reddam, & sententiæ iudicijque mei rationes cum exposuero, efficiam, vt peritiores abeatis, quàm aduenistis. G. Id nobis in optatis est, studemusque sermone tuo etiã nunc doctiores fieri. M. Principiò apud me quidem certè formosus an deformis sit aliquis perparui refert, qui non nesciam, nec in omni pulchro capite inesse cerebrum, & vinum Lesbium in viltiora, abiectioraque vascula, vt in pateras gemmatas & aureas infundi posse, iuxta mecum acquè intelligitis. A. Quid verò spectare soles in discipulis, propter quod apud te in numero aliquo, atque honore sint? M. Duo. G. Quæ nã? M. Ingenium & industriam: hæ res duæ commédant & charos mihi reddunt auditores meos. A. Si quis ambabus excelluerit? M. Vnum multotum iustar, & ambrosia alendum, à meq; amari tanquam oculos meos afirmo. G. Si quis neutra? M. Eum fœnum esse oportere, & ad sordidũ quæstuosumque opificium aliquod detrudendum. A. Si abs te in hac desperatissima colluie numeramur restimememus, qua nos suspendamus. M. Meliora omnia mihi, tenetis apud me locum non infimum. Ingeniosos forsitan præferendos arbitrare diligentibus? M. Qui possim

G. Potiores partes dantur ingenio. M. A quibus? G. Ab vniuersis. M. Qui verò sunt isti vniuersi? eruditione rerumque vsu & ingenio præstantes, an illiterati & imprudentes? G. Eruditi ni fallor. M. A G I S. Falleris. Ingenium ignauum segne, pigrum, eruditus nemo celebrauit. Diligentiam siue industriam mediocri consociatam ingenio certatim omnes in magna gloria & laude ponunt. Hæc sola est quæ plausum meretur. De hac Poeta quidam verissimè cecinit. Omnia conando docilis solertia vincit. A L E X. Iam perspicimus industrios te præ ingeniosis admirari, illòsque tibi esse in deliciis M A G I S T E R. Fateor ita esse, vt dicis. G. Quamobrem? M. Auscultate, tum scietis. Primum res mihi videtur amore dignissima labor multus & assiduus in honesto & præstabili negotio, animusque insaturabili sapientiæ cupiditate incensus, cuius ille (labor inquam indefessus) locupletissimus certissimusque testis est. Nemo quippe in eo elaborare, operamque collocare velit, cuius amore ac desiderio nullo flagrat. A. Percepimus istam causam, & alias si quæ sunt requirimus. M. Quid agit bonus Preceptor? G. Docet. M. Studiose an oscitanter. G. Studiose. M. Bestias an homines? G. Homines vtique. M. Discentes, an animis & cogitatione alibi commorantes, solisque corporibus præsentibus? G. Discentes, & tota mente attentissimos. M. Nunc tu mihi responde Alexander. Quorum censes proprium

primum

Primum esse discere: ingeniosorū quā ingeniosū,  
 an potius industriorū, etsi ingenis minoribus  
 praxitorum? nam industriā omnis expertem  
 ingenij applicare ad literas, esset imbrem in  
 cribro portare. A. Plurimi valentes ingenio nō  
 discunt, aut dissolutē & languidē discūt: quocir-  
 ca eorum hanc esse naturam neutiquam sentio,  
 nulli enim ingenioso deesset. M. Rem fabulare.  
 Bene docentes igitur quos amare potissimum  
 & imprimis debent? A. Benē discētes, & qui li-  
 teras votant, sine vlla controuersia. M. Omnem  
 rem tenes. Quid nunc sapere est quod quaratis?  
 G. Dici non potest, quā tua istac tā subtili dis-  
 putatione delectati simus. Tulimus responsū  
 sapiens, & quod præterea requiramus restat ni-  
 hil. A. Perspicimus probē quid tu iure à nobis  
 postules, enite marque vt amore tuo, & quidem  
 illo nō vulgari ne simus indigni: quoniam quos  
 vehementius diligas, manifestō cognouimus.  
 M. Si verba ad rem contuleritis (quanquam ha-  
 ctenus non omisistis, & ego magis instituti tenē  
 di, quā hortandi caussa hoc profero) si hoc, in  
 quam, effectum dederitis, nomen vestrum cum  
 æternitate coniungetis.

## DIALOGVS XCIIII.

*Pensum diurnum.*

MAGISTER, DISCIPVLVS.

**M**AGISTER. Nō tu existimas, Antoni;  
 ad progressus in eruditione liberali haud

ita longinquo tempore consequendos permagni interesse, certosne tibi labores, libros, exercitationes proponas, quibus studium dedas in dies singulos, an, vt impetus tulerit, & quam diu tulerit, ita quidque & tam diu agas? D. Sanè quidem maximum interest: hæc mea est opinio. M. Nonne præterea intelligis quanti referat perturbatè, an distinctè, & ordine discas atque exerceas, quæ discenda & exercenda sunt? D. Ego verò perspicuè intelligo, & re ipsa id experior. M. Num tu igitur consueuisti certa quædam tractare, & vnumquodque prestituta hora per diei spatium? D. Pro: sus consueui. M. Commemora mihi quamam istuc ratione. D. Posteaquam ad primam auroram somno solutus de lectulo surrexi, corpus amictu contexi, faciem abluï capillum pexui, quartam horæ partem diuinis precationibus transigo, à cœlesti doctore opem auxiliûmque esflagito, me illi cum studiis & actionibus diurnis totum offero, & dedico. M. Castissimè: à Deo enim qui est totius sapientiæ primus & antiquissimus parens, auspiciari oportet ab eo agendi sunt capienda initia. D. Tum me ad libros applico. Primò dum omnium, quæ ante me idem in scholis pronuntianda sunt memoria, edisco. Reliquum tempus in vespertinis diei præcedentis interpretationibus dictatisque consumo: vt si iusseris, possim auctore explanare. Aere campano interea in ludam accessimus, ibi tu ipse nosti quid agam. M. Et quid tu, & quid

& quid alij. D. A prandio rursum edisco & re-  
 to, mecumque retracto ac reuoluo, quæ te expli-  
 cantem, & alioqui ad nos expoliendos accom-  
 mo data, & idonea differentem audiui. Si quid  
 superest temporis, quemadmodum manè quo-  
 que, Adrianum Cardinalem, aut epistolas Cice-  
 ronis lectito. M. Rectissime. Quando scribis?  
 Secundum scholas pomeridianas vsque ad cœ-  
 nam: id est interuallum horæ & semis. Nunquã  
 autem scriptiõni manus admoueo, nisi prius Ci-  
 ceronem verlauerim, animùmque meum illius  
 compositissimæ ac splêdidissimæ orationis illè-  
 cebra delinitum, amore & diligentia similiter  
 scribendi inflammãrim. M. Euge, prudentissi-  
 mum consiliũ. Quãm vellem te condiscipuli,  
 & quotquot posthac se mihi in disciplinam tra-  
 dent, imitarentur? Hoc si fiat, publico fiat bono.  
 A cœna quid inceptas? D. Si non desunt sodã-  
 les, honestis facetisque sermonibus aliquando  
 symphonia; seu cautu musico cum illis diem cõ-  
 buro. Si solus, tum aut testudinem pulso, aut fa-  
 bellas Æsopi, ap phthegmata, historiam planã,  
 & disertè ac ter se conscriptam, quandoque etiã  
 festiua & pudica poemata lego, quibus lectiõ-  
 culis oblecto otiolum meum, & tum ex ipsa re-  
 rum pulcherrimarum cognitione, tum ex ser-  
 monis elegantia, quasi aliud agens, vtilitatis fru-  
 ctum minime pœnitendum excerpo. M. Libe-  
 rãhas, iucundius, conducibilius suadere tibi ni-  
 hil potuissẽ, supra ætatem sapis. Diebus festis

quid rerū agis? D. Ad exercendam memoriā de Poetis veteribus, item ex Cicerone, Lilio, Sallustio, locos insignes edisco, quia te id in laude ponere non sum nescius. Præter ista in Græcis non parum temporis colloco. E sacris aucto-ribus ad animum emendandum, etiam sæpe aliquid lego. M. Probo summo perè institutum. Quid diem vacationis totū mne dum cubitum concedas, in ludo exigis? D. Deus auerruncet ne tu suspicere me vnum de inertium istorum esse sodalitiū, qui ludam, & ferias imprimis, studia in postremis numerant. M. Quid ergo facis? D. Vbi horas aliquot corpus animumque iucunde recreauī, & ad omnem me hilaritatem effundū mihi met receptuicano, ad libellos regredior. Nam me quemcunq; diem, quo non didicerim, perdidisse statuo. M. Quam non inuito ad aures sermo hic tuus accessit? O te solertissimū, o summe industriū adolescentem. Tu non amandū tu non gestandus in sinu? Mane in hac ratione semper, teque ex ea lucram emolumentūque vberimum, & in mortalis gloriæ splendorem asquiriturum spera.

## DIALOGVS XCV.)

*Cupiditas proficiendi.*

PELAGIVS, SISINIVS.

